DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-LEGALIS,
DE

TORTURÆ SUBJECTIS,

Quam,
AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEGA, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, ETC.
DN. DECANO H. T. SPECTATISSIMO,
Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,
HORIS LOCOQUE CONSUETIS,
ANNO MDCCXXIX. D. NOVEMB.
Publicæ ac placidæ eruditorum ventilationi subjiciet
RESPONDENS

JOHANNES HENRICUS KRAUS,

LOESNITZIO-SCHOENBURGICUS.

HALÆ MAGDEB. TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



PROOEMIUM.



Otatu perquam digna est *Ecclesiastici* enunciatio, quando *cap.38.v.15.* dicit, *qui in Creatorem suum peccat, incidet in medici manus*, quo cum effato comminatio illa divina confirmatur, quæ continetur *Deuter.c.28. v.21. 22.* & sicut Mors est thesaurus peccati, ita morbi, nil nisi fructus & dependentia lapsus & peccati sunt: in statu enim innocentiæ neque mors, neque tormentum, neque dolor, neque ulla afflictio fuit, nam juxta *Lib. Sap. II. 24. diaboli invidia mors ingressa est in mundum*; & quando beate morientes omnimode a peccato liberabuntur, tunc neque dolor, neque morbus, neque mors amplius erit: *ultimus enim hostis abrogatur mors 1 Cor. XV. v. 26.* Haud quidem eum ob finem misericors DEus peccatorem in manus medici projicit, quo promeritas luat pœnas, ex medici offi-

cio fluentes, quoniam ipse morbus aut pœna, aut castigatio existit, sed potius cœlestis illa misericordia, divina sua providentia, peccatori in Medico externum quoddam asylum & solatium constituit, quam ob rem DEus honorandum Medicum esse jubet, quia ipse hunc creavit & quia ab Eodem Medicina est, hinc Jehova se Ipsum Medicum nominat, qui non modo naturaliter & corpore afflictos sanat, sed & spiritualiter vulneratos curat, adeoque omnipotenti sua medela allevat; a quo summo Archiatro omnis vis & salubritas medica provenit, ita ut vel solum verbum Jehovæ perfectissimam & certissimam medicinam constituat: interea non negandum est, quod aliquando per peculiarem cœlestem providentiam nonnulli homines in manus imperiti Medici incidant, ut nulla calamitas sola existat: nam si judicia divina adeo accumulata & excitata fuere, ut justitia nunc in summo prævaleat rigore & ardore, tunc non modo naturalia auxilia expirarunt, sed pseudo-prophetæ, pseudo-apostoli, pseudo-animarum medici falsis suis solatiis malum & dolorem exacerbarunt: inde aliquando *Torturæ Medicæ* oriuntur, quando imperiti Medici non modo præsens malum haud mitigant, sed potius illud majoribus tormentis accumulant; hinc *Coccejus in P. Zachiæ Qv. med. leg. Lib. 6. tit. 2. qv. 21. n. 17.* commentatur & dicit: *voce tormenti omnis dolor & cruciatus in genere intelligi, atque adeo ipsæ pœnæ & morbi quoque venire solent*: siquidem perfrequenter de morbis & doloribus dicitur, quod torqueant, aut crucient corpus diversaque ejus membra, quæ propterea *tor-*

cere

tura morboſa appellari meretur: interim aliquando accidit, ut miſeri patientes ſingularem torturam ab imperitis medicis ſuſtineant: de talibus Medicis inquit *Galenus Lib. I. Epid. Sect. 3. text. 50*: *Medicus inſcius altera fera, qui ita ægris remedia præſcribit, ac illi qui aleam jaciunt: quorum inutilia præcepta magnum ægrotis afferre ſolent detrimentum*: quo pertinet *Jouberti* effatum *in orat. de præſidiis futuri & excellentis Medici: imperitia medici immenſo ægris affligit tormento & graviores cauſatur ipſo morbo dolores*: ſicut *Hippocrates* elocutus eſt in *Lib. de arte: Morbus horum negligentia, major efficitur*: ob id *Plinius* conqueſtus eſt *lib. 29 c. 1. nulla eſt Lex: quæ puniat capitalem inſcitiam medicorum, nullum exemplum vindictæ: diſcunt periculis noſtris & experimenta per mortes agunt; Medicoque tantum hominem occidiſſe ſumma impunitas eſt, quando in hac artium eveniat, ut unicuique Medicum ſe profitenti ſtatim credatur*: *conf.* de tali perniciosa imperitorum Medicorum operatione *Zac. Luſit. Med. Princ. Hiſt. Lib. I. hiſt. 64. in comment. p. m. 113. Prax. admir. Lib. 3. obſ. 145.--154. Joh. Freitagius in noctibus medicis c. 20.* Quod vero imperitæ medicationes non modo diverſas tormentorum ſpecies, ſed ipſam mortem cauſari queant, haud peculiari confirmatione indiget, quoniam innumera exempla hujus veritatis teſtimonia perhibent: hoc interim loco, aliquot hujus Torturæ ſpecies brevi commemoratione cognitas reddere placet: omnia heroica remedia incongruis ſubjectis, affectibus, temporibus &c. adhibita magna tormenta cauſantur: quantos interdum cruciatus vomitoria & fortia purgantia cauſentur, non

 longa

longa enarratione indiget: inde enim innotescunt illæ confessiones, quod tali remedio tractati homines, tantas inde afflictiones, angustias, tantosve dolores sustinuerint, ac agonizantium ferme calamitates esse solent: sie hätten Todtes-Noth und Angst dabey ausgestanden: Sie wolten lieber sterben, als noch einmahl solche Artzeney gebrauchen: man könnte auf der Folter nicht mehr geqvählet werden, und ausstehen: quam ob rem multi homines tales perversas remediorum operationes Torturæ assimilare solent: quando porro illis, qui indolentibus spasmis laborant, remedia sanguinem valde commoventia, aut strictas fibras, majori stricturæ gradu afficientia propinantur, tunc aliquando tanti dolorum gradus excitantur, quales acerbiores sub Tortura vix esse possunt; inde innotuere formulæ, man hätte dabey als ein Pferd, oder Wurm ausgestanden: Plurimæ itaque talium afflictionum consistunt, in atrocissima & vehementissima fibrarum strictura spastica, qualis afflictio alioquin summos dolorum gradus efficere & confirmare solet: quando porro subjecta valde acria, arrodentia, & alia nimium stimulantia propinantur, tunc partibus membranoso-nerveis, valde sensibilibus tantam inferunt offensionem, ut eximii inde oriantur cruciatus, testimonio venenosorum oblatorum subjectorum, sub quorum operatione homines mortiferam calamitatem experiuntur: simile quid non modo obtingere potest, quando virulenta propinantur media, sed & quando inflammatis, aut arrosis faucibus, œsophago, ventriculo, intestinis, aliisque partibus,

acria,

acria, resinosa, concentrata oleosa, valde salina, spirituosa & similia offeruntur, aut quando remedia minus rite præparata ordinantur, velut mercurialia, metallica alia, corrosiva qualitate prædita, similiaque: quando porro præsentibus internis inflammationibus, maxime in valde sensibilibus partibus, obtruduntur ejusdem qualitatis remedia, insuperque sanguinem magis impellentia & partes affectas acri & calida qualitate plus afficientia, unde afflicta subjecta communiter acerbissimas querimonias effundunt, quod flammeum velut ignem in locis affectus, adeoque extrema tormenta, sentiant: quales dolores similem aliquando effectum habent, quem in Tortura criminali quidam de sagis, tormentis subjectis, prædicant, quod videlicet, sub tortura obdormiscere soleant, quibus olim referente *Diethero in addit. ad Besoldum sub voce* Hexen *p. 389.* potio, ex cerevisia, pane raspato, ossiculo lucii piscis cruciformi, felle lucii piscis, & sem. nigellæ parata, ad avertendam hanc occultationem sensationis adhibita fuit: qui mos tamen recentioribus allegante *Brunnemanno Process. inquis. cap. 8. membr. 5. n. 69. in fin.* displicet, qui potius ordinaria media commendat: *conf. Wildvogel disp. de arbitrio Judicis circa torturam cap. 4. p. 18. 19. Stryck. de Jure Sensuum diss. 6. c. 4. n. 9.* interim ex ejusmodi significatione id notamus, quod nimii dolores lipothymiam, & syncopen, quid quod deliria & varias tormentorum afflictiones causari queant soleantque, qua occasione adhuc annotamus, quod denegatio potus in æstu febrili tormenti speciem complectatur: *Stryckius de Ju-*

re Senſ. diſſert. 6. cap. 4. n. 7. dicit: *cæterum ſi cibo denegato torqueri quis dicitur, multo magis is obtinebit, denegato potu:* qui febre unquam acuta, maxime cholerica laboravit, in qua ſitis clamoſa a medicis ita vocata, occurrit, is huic ſententiæ facile annuet, quod denegatio potus eximium ſit tormentum: Sed quis omnia illa tormentorum ſpecimina commemoret, quibus imperiti medici homines affligere poſſunt, ubi quilibet homo & morbus huic torturæ ſubjectus eſt: hoc loco reminiſcimur talium ſubjectorum, quæ judiciali & criminali Torturæ ſubeundæ apta ſunt: quoniam itaque aliquando in hac diſquiſitione judicio & deciſione Medici opus eſt, eapropter præſenti Inaugurali diſſertatione mixto themate de TORTURÆ SUBJECTIS agere in animum duximus: quod propoſitum noſtrum ut ad vota ſuccedat, eſt quod a Divina Clementia humillime precamur.

§. I.

MUlti & frequentius obvii ſunt caſus, in quibus *Medici* & *JCti* deliberationes & ſententiarum conciliationes inſtituere ſolent, id quod inter multos teſtes *P. Zacchias* in multis *Legalium* ſuarum *Quæſtionum* locis, *Bartholinus in Act. Haffn. Vol. 4. obſ. 8. Rejeſius Camp. Elyſ. qv. juc. Qv. 2. Bohnius de off. Med. dupl.* mox in limine, *Fort. Fidelis Relat. Med. Wippermannus de Nexu Jurisprudentiæ & Medicinæ. Caſp. Bravo in dogmat. Med. præſt. Parte altera A. E. L. An. 1723. M. Septembr. p. 407.* comprobant; quam ob rem nominatus *Bravo in l. c. p. 104.* tuetur *Medicinæ utilitatem & neceſ-*

ſitatem

ſitatem in variis caſibus & quæſtionem illam ventilat, *an Medicinæ præſtantiam minuant objectiones a Juris Profeſſoribus factæ*, ſiquidem in variis caſibus & occaſionibus Medici fundata & prudens deciſio requiritur, dum in *jure civili*, *eccleſiaſtico*, *feudali*, *criminalique* variæ *Medicorum* deciſiones neceſſariæ eſſe, multis exemplis comprobantur: Secundum hunc *nexum* & ex hoc *mixto* Collegio occurrit etiam deliberanda & decidenda quæſtio, quænam ſubjecta ad *quæſtionem rigoroſam* ſubeundam habilia & quoad diverſas *circumſtantias* & *qualitates* idonea exiſtant; etenim ſi *Tortura* eximium *corporis cruciatum ac dolorem infert*, ut præc. annotat *Zanger de qv. & tort. c. 4. n. 10.* & ex eodem *Carpzovius in Jur. Crim. qv. 117. n. 58*, aut ſi *quæſtio corpus lacerat & ipſa fere morte durior eſt*, juxta eundem *Carpzovium qv. 119. n. 9.* ita ad eandem cum ſpe obtinendi finis, videlicet *eruendæ veritatis*, corpus requiritur *firmum* & *congruum*, ne *torturæ vehementia reum interimat aut mutilet*, *neve propterea judex, torturam admittens, homicidii aut mutilationis ſuſpicionem incidat* juxta *Dambouderum Prax. Crim. cap. 381. n. 18.* Neque tantum *corporis* ratio habenda eſt, ſed etiam *animi* qualitates conciliandæ ſunt, ſiquidem nimia *ſenſibilitas*, profundus *angor*, *timor*, *terror*, &c. multa cauſari poteſt & ſolet, quo minus hujus *ardui* proceſſus & *ultimi* medii eruendi *veri* finis aut *deſideratus* ſcopus obtineatur: neque deſunt exempla, quibus confirmari poteſt, quomodo ſubjecta *animo* ita *mollia* & flexilia, aut *ſenſibilia*, vel ob nudam *territionem* in *lipothymiam*, aut *melancholiam* inciderunt; viciſſim vero varia conſtant teſtimonia, quibus etiam probari poteſt, quomodo varia ſubjecta pro *averten-*

da hac quæstione, aut *animi* aut *corporis* morbum *simulaverint*, ut propterea *Medici* explorationes subjectorum & decisiones requisitæ fuerint. Non quidem *Medici* fori est, inquirere an Tortura *certam* eruendi veritatem medium existat, id quod JCti *tam diu* affirmant, donec *certius* ad manus subministretur, cum *malitia* hominum delinquentium *vi* & *cruciatu* coerceri debeat; interim illa disquisitio ad *medicum* forum spectat, an *vires* & *qualitates corporis* & *sanitatis* naturales eo quadrent, quo judex *hoc* medio *finem* suum ita impetrare queat, quo minus subjecto *patienti lethale* damnum superveniat: nam si juxta *Zangerum l. c. cap. 1. n. 1. quæstio res dira corporibusque hominum admodum noxia & quandoque lethalis est*, ita subjecti *circumspecta* ratio haberi debet, ne forte *innocens* in talem *perniciem* conjiciatur; quemadmodum & illi, qui aliquando ob *animi pravitatem* & *corporis ruditatem* ac robur, hæc tormenta sustinent, nec *quicquam* confitentur, nihilominus in sanitate sua *futura* aliqualem *alterationem* subeunt: interim juxta *artic. 59. C. C.* cum circumspectione tortura concedenda est, quo pertinent *Clasenii* verba in sua *Exegesi*, quando dicit: *tortura est medium inquirendi verum, non autem nocendi inquisito: quapropter tortura semper ita comparata esse debet, ut tortus salvus vel innocentiæ vel etiam supplicio servetur: & hoc extenditur ad alios valetudinarios & infirmos, qui vel omnino non sunt torquendi, vel ita leniter, ut nullum inde vitæ aut corporis sentiant periculum: Stephanus* utitur voce, quod *artificiose* torquendus sit suspectus homo, quando in prædictum art. commentatur: *ea arte torquendus est, ne quid damni accipiat*, *Manzii* glossa est: *in hoc artic. monet Imp. iterum judicem,*

judicem, ut si reus vulnera, vel rupturam, vel alium defectum in corpore suo habeat, eum cum tali moderamine torqueat, ne quid damni accipiat, & ne vel vulnus, vel ruptura augeatur: idem est, si reus alias sit infirmus vel valetudinarius, tunc enim vel omnino non torquendus, vel ita moderate, ut sine periculo vitæ seu corporis id fiat: qua in re medicorum & chirurgorum judicio stabit: ratio: quia afflicto non danda est afflictio, & quia tortura semper debet esse talis, ut tortus salvus vel innocentiæ, vel supplicio conservetur; ex ejusmodi testimoniis itaque facile liquet, quod in *Tortura* decernenda *non raro Medici* judicium requiratur, *an* videlicet quisquam *torqueri possit*, & *quo usque* tortura *augeri* & *continuari* queat; quam ob rem *Löw. in theatro Medico-Juridico cap. 17. n. 2. p. 774.* dicit: *hinc est, quod infligendis tormentis, si torquendus allegat aliquam infirmitatem, ex qua ineptum tormento se dicat, Medicorum ad hoc judicium exposcitur: sic enim reo deficiente in tormentis seu actuali tortura, Medicus ad determinandum vocatur, an ulterius sine periculo torqueri possit, nec ne, & utrum tortus ex immoderato tormento mortuus sit: conf. Fort. Fidelis Relat. Med. Lib. 2. Sect. 3. c. 1.*

§. II.

Dum itaque de *Torturæ Subjectis* differere constituimus, institutum nostrum est, quo partim *positive*, *partim* in *opposita* qualitate, quænam personæ ad *tormentorum* cruciatus sine *vitæ* damno sustinendos, *habiles* sint, indicemus, in qua tractatione ex *contrariis* qualitatibus ad decidendam hanc quæstionem *veræ conclusioni* formandæ via erit patefacta: In hac disquisitione itaque partim ad *ipsam Torturam*, partim ad *Subjecta*, quæ huic *rigorosæ* quæstioni submitti

 debent,

debent, attentio adplicanda eſt: reſpectu *Torturæ relatio* inſtituenda & deciſio formanda erit, an hunc vel illum tormenti *gradum* quædam ſubjecta ſine damno ſuſtinere queant: ita enim jam *JCti* deliberare ſolent, ſi quidam homines *pollicibus deſtituti* ſunt, ubi in tali caſu *forcipes* applicari debeant? *conf. Stryck. de Jur. Senſ. diſſ. 7. c. 4. in fin. Wildvogel diſſ. de arbitr. judic. circa torturam, cap. 4. ſ. 6. p. 24*: aut ſi olim ſuſpectus quidam gradum tormenti cum funibus paſſus, imo *perpeſſus* eſt, poſthac vero denuo tortura ipſi dictitatur, denuo quærunt JCti *in quo loco* fidiculæ ipſis applicandæ ſunt, ita aliquando *corpus* ſubjecti *Medici* inſpicere & de eodem judicare debent. *conf. Carpzov. qv. 117. n. 25. Wildvogel l. c. ſ. 4. p. 21. 22*: ex hac ratione inclareſcit, quomodo interdum quædam ſubjecta non niſi *certum* Torturæ *gradum* ſubire queant; de qua circumſtantia propterea *Medici* judicia ſolida & perſpicua formare debent: cujus conſiderationis in conſequentibus aliquam mentionem & annotationem proferre lubet: præterea vero hæc diſquiſitio ſubjectorum *Animum* & *Corpus* concernit: quoad *Animum*, jam ipſi JCti confitentur, ſubjecta illum ad tormenta *indurare* poſſe *Paulus in L. 18. ſ. 1. de Quæſt. vid. Wildvogel l. c. cap. 7.* quam ob rem nonnullorum animus eſt *ſenſibilior*, delicatior, mollior & ad *offenſiones* & perſuaſiones, ut & dein ad *confeſſiones pronior* & facilior: quare in foro Juridico, quando *viro* & *fæminæ ſimul* in uno delicto quæſtio dictata eſt, quidam fæminam prius torquendam eſſe, decernunt: interim citra hanc animadverſionem, reſpectu conſiderationis ad *Medicam* indagationem ſpectantis, in maſculis æque ac fæminis talis aliquando *animi* qualitas occurrit, unde facile eximiæ

miæ *alterationes* & offenſiones in *ordinariæ* vitæ tramite accidunt, id quod tanto *certius* & gravius *ſub Tortura* evenire poteſt, ubi ſummi *dolores* extremam *animi* alterationem, ſummum *angorem* & dolorum moleſtiſſima & *averſiſſima perceptio* eximias perturbationes cauſari ſolent, unde facile in *corpore* valde intricatæ, repentinæ & *periculoſæ* alterationes experiuntur. In *Subjectis* porro ratio habenda eſt *Ætatis*, *virium*, *perſonalis ſenſibilitatis*, *Sexus* & præcipue *qualitatum* nonnullarum *ſequiori* ſexui familiarium, proinde *ſtructuræ* corporis, nec non *prægreſſorum* aut *præſentium* morborum, ſtatus *valetudinarii*, ſpecialis & diſtinctæ *proclivitatis* & diſpoſitionis in certos & graves *morbos*, ut & *loci*, in quo tortura ſubeunda, *temporis* & *tempeſtatis*, quando illa ſuſcipitur; proinde reſpectu *partis*, quæ & quali morbi *ſpecie* atque *gradu* afflicta eſt: hinc *P. Zacchias Qv. Med. legal. lib. 6. tit. 2. qv. 4. n. 1.* talem circumſtantiarum annotationem & diviſionem profert: *impedimenta* torturæ *conſiderari poſſunt, vel ex parte ætatis, vel ex parte morborum, vel ex parte conſtitutionis & habitudinis corporis; ex parte ætatis, vel quia eſt nimis tenera, vel nimis præcipitata; ex parte morborum, qui vel reſpiciunt totum, vel partes; ex parte conſtitutionis corporis vel totius, vel partium:* & *Löwius l. c. n. 1.* eloquitur: *fit non raro ut vel ob ætatem, vel ob naturæ debilitatem, vel ob aliquem morbum, vel vitium, vel ſexum, mulieres gravidas, puerperas, vel aliquam aliam cauſam, vel conditionem rei, huic aut illi tormento ſint inepti, aut illud in hoc vel illo gradu non ſuſtineant, alias enim ex eo tormento, in eo gradu inflicto perire poſſent:* quoad ſingulos *hoſce* reſpectus ſubjectorum *cir-*

cumſpectione opus eſt, ne ulli ſubjecto, quod *leges* & *jura* excipiunt, vis inferatur: quo loco effatum *Damhouderi* conciliamus, quando in *Prax. Crim. cap. 37. n. 5.* profitetur: *attamen iſthæc omnia cum tali prudentia & animi moderatione temperet & peragat judex, ne patientis corpori ullam gravem læſionem aut mutilationem infligat* & n. 2. 3. dicit: *Pii clementisque judicis eſt erga patientem ſemper commiſeratione monere, & prudenter expendere canitiem, ſenectutem, confectam ætatem aut juventutem, virile robur, valetudinem tum imbecillem, tum validam: denique inſpicere, quid ipſius perferre valeant vires, ut hac in re, verum prudentemque judicem agat, non tyrannum inferat.*

§. III.

In *ſpecialiori* præſentis thematis explicatione primo loco rationem *Animi* habere placet, in quo *morales* quasdam qualitates perluſtrare, indeque judicare volumus, an ſubjecta ſecundum haſce ad *Torturam idonea*, aut *inidonea* exiſtant: *Tabor* quidem in *tortura & indiciis delictorum cap. V. ſſ. 24. 31. ſeq.* moralibus cauſis, *politicas* rationes adſcribit & tantum *animi morbos*, quos *phyſicis* cauſis adſcribit, commemorat, ob quos quidam a tormentis immunis declarari queat: hinc dicit: *eximuntur quidam a quæſtionibus & torturis vel ex cauſa phyſica, vel morali: ex cauſa phyſica, ſi vel animi, vel corporis conſtitutio benignitatem perſuadeat: ob defectum animi doli & notitiæ incapacis excipiuntur, ob morbum animi furioſi* &c. Habenda vero etiam alia eſt ratio *Animi*, ut non æque *confuſio* mentis, *delira* rationis qualitas, aut *actualis* infirmitas adeſſe debeant, ſed etiam ſub ſollicitam conſiderationem venit, quando quidam homines adeo *abjecti*, ſummè anxii & *timidi* ſunt animi, unde

de mox *inhabiles* redduntur, res suas in *memoriam* revocandi, quin potius confestim sui *obliviscantur*, obstupescant, nesciique sint ob extremum *angorem* & timorem, quæ dicere debent, aut quæ dixerunt; hinc mox *falsa* pro *veris*, aut *vera* pro *falsis*, aut *confusa* proferunt; qua confessione judex niti haud potest: huc etiam certo modo applicari potest, quod *Carpzovius Qu. 118. n. 9.* allegat: *quare metuendum, ne ex infirmitate judicii & timore tormentorum, qualis in ejusmodi personis infirmioris intellectus præsumitur, extorqueatur confessio delictorum, quæ forsan perpetrata nunquam fuerunt*: id etiam valet de *valde anxiis* & extreme timidis subjectis, quæ ob *metum torturæ* obstupescunt & ad confessionem *inepta* redduntur: placet hac occasione *Zacchiæ* verba inserere, *Lib. 2. tit. 1. qv. 6. n. 38. - 42. timorem esse expectationem imminentis mali & notum est & docuit Plato in Lib. de Fortitud. in fin. qui affectus animi est & vehemens & subitus, ut Galenus testatur 12. Method. & idcirco prudenter a Jure Consultis determinatum est, quod quodcunque metus causa fit, ratum non habeatur ut lib. 1. ff. de eo quod metus causa; ubi qualis debeat esse metus, ut justus dicatur & de hoc ipso quamplurima, vid. Jurisperitus apud Farinacium Crim. Part. 2. lit. M. Ratio autem ejus rei, non alia est, quam ea de qua supra, nimirum; quia timentes non habent intellectus plenitudinem, imo & voluntate & consensu carent: neque enim velle dicitur, qui metus causa vult, quia metus contrarius est voluntati & libertati Roland. cons. 95. n. 31. lib. 1. unde illico atque probatus sit metus actum non fuisse, sponte celebratum, sequitur*: quod effatum eo *magis* de *illis* valet personis, quæ ob *angorem* & metum *nesciæ* sunt, quæ *cogitant*, *enunciant*, *affirmant*, aut *negant*, aut aliud

quic-

quicquam suscipiunt, de quibus vulgo dicitur: daß Sie vor Furcht, Angst und Schrecken ihrer Sinnen nicht mächtig sind. Ex hisce itaque patet, quod *Morum* ratio etiam habenda & ineunda sit, in Torturæ *medica* dijudicatione: Cum ejusmodi subjectis ad Torturam *properandum* haud est, neque tamen eadem *absolute libera* & exempta sunt, quo minus tormentis affligi queant: id vero necesse erit, quo eorundum animus *morali* informatione, persuasione & remonstratione *præparetur*, ita eveniet, ut vel *sponte* & *libere* veritatem confiteantur, vel *aliquali* mentis continentia tormenta, ad minimum minimos & *primos* eorum gradus cum *desiderato* successu subeant: & talia *meticulosa* subjecta alias *aptiora* existunt, quo *ante* torturæ executionem de veritate dicenda *facilius* se accommodent, *flexilioris* enim animi sunt & sub hac *morali* afflictione multum *verbis variant*, ut facile prudens judex *verbali* admonitione & convictione illos ad confessionem disponere queat: in tales personas *nuda territio* aliquando cum successu exerceri potest, quæ comparate *tortura animi* appellari potest, quamvis *juxta Carpzov. qv. 117. n. 49.* haud torturæ nomine notanda veniat: *Stephani* tamen *in C. C. art. 58. n. 3.* de sententia *Clari* quoad *gradus* torturæ adjicit: *nihilominus talis metus & suspicio torquendi æquiparatur torturæ: hinc infertur, quod paria sint, confiteri per tormenta, vel metu tormentorum*: addimus notam *Blumblacheri in art. 45. C.C. p. 126*: Solche Furcht und Bedrohung der Marter, wird ipsi torturæ verglichen, und daraus die Folge gemacht, *quod paria sint confiteri per tormenta, vel metu tormentorum. L. 2. ibi formidine tormentorum Cod. quorum appell. non recipiantur. Carpz. P. 3. qv. 117. n. 44.* proinde vero etiam *cir-*

cum-

cumſpectione opus eſt, quoniam *callida* & *malitioſa* ſubjecta facile talem *metum ſimulare* poſſunt: ubi neceſſe eſt, ex titulo & indiciis *ſimulationis* per *moralia* etiam media & ſubſidia *fraudem* detegere, quo *Medici* pariter *haud exiguam* operam conferre poſſunt; quandoque videlicet indicare ſciunt, an ratione *temperamenti*, ſtatus *ſanitatis*, *hæreditariæ* diſpoſitionis, *conſuetudinis*, morborum *prægreſſorum* &c. hic angor & metus ſubjectis *naturalis*, an *affectatus* ſit: hujus indolis ſubjecta in aliis arduis, *animum* & *corpus* concernentibus, afflictionibus & negotiis, æque ita *puſillanimia* eſſe, ſubinde *inſomnia* anxia & *terribilia* frequentius experiri ſolent; ubi non æque ſtatim *exacte*, aut *conſummate Melancholicus* ſtatus adeſſe debet, ſiquidem *tali* mentis qualitate aliquando *ſanguinei*, *ſanguineo-phlegmatici*, *ſanguineo - melancholici* temperamenti homines præditi eſſe obſervantur; ut adhuc animi *morbus* deſit, & tantum hæc *mollities* & ſingularis *ſenſibilitas* animi præſto ſit.

§. IV.

Quoad *Animi* qualitatem præterea notandum eſt, quod quædam ſubjecta tanta *mollitie*, *ſenſibilitate* & flexilitate prædita ſint, qua in rebus *adverſis* aut periculoſis, non modo eximiæ *mentali* conſternationi ſubmittuntur, ſed ſubinde graves & ſubitaneas, ominoſas *corporis* offenſiones experiuntur, dum vel confeſtim in *animi deliquia* nunc *mitiora*, nunc *acerbiora* concidunt, nunc vehementes *cordis palpitationes*, *vertiginoſas* perturbationes, *ſenſuum* externorum *obnubilationes*, ominoſas ſanguinis *ebullitiones*, *congeſtiones* ſanguinis *ad cor*, indeque provenientes *ſuffocativas* comminationes, conatus *vomendi*, crucia-

tus *torminosos* & pro ratione *temperamenti* ac copiæ *bilis* largam profusionem bilis in intestina & ventriculum, hincque dependentes *angustias præcordiales*, *vomitus biliosos*, *diarrhœas* similes, *colica pathemata*, interdum *semiconvulsiva*, comminationes *semiapoplecticas* &c. experiuntur, qualia pathemata in *sensibilibus* personis in *aliis* casibus & occasionibus animum *valde* aut *subito* afficientibus, præcipue vero inopinatum *terrorem* causantibus, satis *sæpe* occurrere solent: *Hujus* constitutionis hominibus Tortura *confestim* applicanda *haud* est, sed prius prudens *Medicus*, quoad *hanc* circumstantiarum illarum *indolem*, quantum fieri potest, ex *vita ante acta*, & observationibus ac relationibus de eadem conquisitis, aut ex *moribus* durante *incarceratione* annotatis, ex *ætatis*, *prosapiæ*, *educationis*, *sexus*, *temperamenti*, prægressorum & concurrentium *animi pathematum*, & *morum* ratione & conditione, nec non ex *morborum* prægressorum, & adhibitorum *remediorum* qualitate, ex *diætæ* ratione, ex propensione *personali* in certos morbos, ex *morbis hæreditariis*, aut etiam ex *antehac* usurpatis suspectis & *incongruis* aut *perniciosis medicamentosis* artificiis rite percontari debet: in qua *posteriori* circumstantia *singulares* observationes *prudenti* disquisitioni se commendant, quando videlicet ejusmodi *mala* & perversa *artificia*, in subjectis nonnullis adhibita, non quidem *plene adversam* valetudinem causantur, tamen ad *facilem* certi *morbi* invasionem *disponunt*, velut ad suspecta *molimina* hæmorrhagica, aut actualia *profluvia* cruenta, ad gravissimos motus *spasmodicos* & *convulsivos* ad pertinaces & *impetuosas congestiones* &c. quorum affectuum actualem & *perfectam* invasionem *facile* prædictæ alterationes

tiones *animi* cauſari poſſunt & ſolent: cui exemplo an-numerari poſſunt *Fœminæ*, quæ quidem non *valetudinariæ*, aſt haud *perfecte ſanæ* exiſtunt, ſed ex *levi animi* motu *pathetico facile* in illum perfectum *morboſum* ſtatum conjiciuntur, in quem hactenus tantum *aliquo modo* inclinaverant, qualis ſexui utplurimum *familiarior* & *acerbior* eſſe ſolet: id quod tanto *certius* & *fortius* contingit, quando in talibus perſonis ob *torturam* decretam *eximia animi* afflictio provocatur, quæ tanto *impetuoſior* & *ominoſior* eſſe ſolet: in quali ſtatu iterum *Medici* judicio opus eſt, ut videlicet ſubjectum quoad *animi* & *corporis* qualitates recte inquirat, *damna* ex torturæ adminiſtratione metuenda, perſpicue & cum *ratione* indicet, & ſi quid ad *judicii* & *proceſſus* ſublevationem contribuit, ſignificet, ad minimum *ſuo conſilio* & auxilio *ſubjectum* torturæ *præparet*, ne *prædicta* detrimenta *actu* conſequantur: Et quando quoad hanc potentiam *animi* in excitandis *morboſis* inſultibus, *ſuſpecta* ſubjecta *ſimulare* audent, tunc iterum peritus & *judicioſus* medicus hanc ſimulationem *reſolvere* poteſt & ſolet, unde denuo liquet, quod in *tali* caſu *Medici* concurſus & judicium requiratur: Huc etiam referimus illam *connatam* & per *hæreditatem* propagatam qualitatem *animi*, qua quidam homines *ſummam averſionem* a conſpectu ſanguinis habent, ita ut in *ſyncopen* repente quidam delabantur, quando ſanguinem inſpiciunt: ſi itaque ſub *forcipum* & *funiculorum* applicatione evidens *cruentatio* ſuccedit, facile tunc *ſcopus* torturæ *evaneſcit*, quando ſub tali gravi *animi deliquio Torturæ* proceſſus interrumpitur: in quali cauſa iterum aut ejusmodi *tormenti ſpeciem*, quæ cruentationem *ſenſibilem*, vi-

 delicet

delicet non modo *visibilem*, sed in genere *sensibilem* & *contactu calido*, aut sub *dolore dilaceratæ* partis perceptibilem, (ubi multum in tali casu admodum operosa *imaginatio* valet) infert, *omittere*, aut *aliam* dictare & applicare decet; quoniam in *tali* necessitate & casu *Medicus* sua arte *hæreditariam* dispositionem extinguere & *emendare* haud valet: Tales circumstantiæ itaque comprobant, quomodo in *Torturæ legali* & congrua ordinatione & applicatione etiam quoad *Animi* disquisitionem *Medici* scrutatio & dijudicatio perquam *utilis* & *necessaria* existat: ex quibus annotationibus pariter constat, quod tolerantia *tormentorum* etiam *animi vigorem* & *præsentiam* requirat, quamvis contrariante adsertione *P. Zacchias Lib. 6. tit. 2. qv. 4. n. 4.* eloquatur, quod *tolerantia tormentorum vigorem & robur corporis, non animi respiciat*: unde præter *corporis* capacitatem, etiam *animi* firmitas ad *torturam* sustinendam necessaria est.

§. V.

In *Subjectis Torturæ* ratio porro habenda est *Ætatis*, ubi communiter judicatur, quod homines *Impuberes* tormentis consuetis submitti haud queant: non quidem *nostri* fori est, *Pubertatis* terminos in sensu *universali* decernere, suffecerit in sensu *Medico* periodum *Pubertatis* in finem *decimi tertii*, & totum *decimum quartum* ætatis annum posuisse; de reliquo fusius de themate Pubertatis egit *Excell. Dn. Cancellarius de Ludewig in tr. de ætate Legitima Puberum & Majorum*: communiter itaque a tortura exempti judicantur homines *utriusque* sexus, qui *decimum quartum* annum, nec attigerunt, nec compleverunt; quare *Tabor de Tort. cap. 5. n. 25.* dicit: *quæsitum esse*

de minore 14 annis, subeuntes, in hac materia non distingui puellas a pueris, sub utriusque sexus terminum 14 ætatis annum in criminalibus poni, utcunque in nuptiis distinctio illa, atque alias etiam observetur: huc referimus verba *Blumblacheri in art. 45. C. C. n. 9. p. 127.* es ist gewisser Rechten, daß die Impuberes oder junge Kinder unter 14 Jahren nicht torquiret werden können: *Textus expressus in L. de minore 10. in princ. ff. de Quæstion. ubi Jurisconsultus sic ait: de minore 14 annis quæstio habenda non est.* & quamvis *infantes* ac in *prima pueritiæ* periodo consistentes *ordinaria tortura* affici non queant, cum *animi corporis*ve teneritudo sine *lethali* offensa talia tormenta haud perferat, tamen pueris & pubertati proximis subjectis *territionem* concedunt, habenas & ferulas dictitant, quin *instrumentorum torquentium* oblationem, quasi cum iisdem affligi debeant, decernunt. *vid. Carpzov. qv. 118. n. 14. Matthæi de Criminibus Lib. 48. ff. tit. 16. de quæst. n. 9. Theodoricus in judic. crimin. pract. c. 9. aph. X. lit. b. p. 1262. Tabor l. c. §. 27.* qui posterior aliquo modo a Carpzovio dissentit, quem dissensum etiam tenet modo dictus *Blumblacher l. c.* qui instrumentorum torquentium oblationem impuberibus non admittunt, quia hæc a *Carnifice* perficienda, & *maculam inurit, carnificis manu inuri*; habena vero & *ferula* cædi possunt ab *aliis* personis, velut per *lictores, stratores, statores, janitores. conf. Zanger de tort. c. 1. n. 35. seq. Cujacius de custodia reorum ad Lib. 4. C.* interim hic *Cujacius* existimavit, quod *pubertati proximi utpote doli capaces torqueri queant;* contra quem *Matthæi de Criminibus l. c.* ita judicat: *nescio, an id probari possit: leges enim adductæ loquuntur expressim de minore annis quatuordecim: nec sequitur est doli capax, ergo torquendus: sed illud potius: est doli*

 capax,

capax, *ergo habena vel ferula cœdendus*, *non torquendus*: *conf. Zanger de quæst. c. 1. n. 36.* Sed ne in *alienam* messem nostram immittamus falcem, illud saltim hoc loco perpendimus, an plane *nullus casus* detur, ut pubertati *proximiores* in *duodecimo*, aut *nondum confecto* decimo tertio ætatis anno *consuetis* tormentis, & quidem forcipibus & funiculis affici queant? *P. Zacchias L. 6. tit. 2. qv. 4. n. 4.* quadantenus hanc quæstionem tangit, sed *haud sufficienter* decidit: nam proponit quæstionem: an non *impuberes maturius* ad *animi vigorem* pervenientes torqueri queant? quo loco recte adserit, quod *sola animi* præstantia non sufficiat ad subeunda tormenta, sed quod etiam *firmitas* & congrua *corporis* soliditas requiratur; unde decisionem ad Medicos defert, quando dicit: *itaque particulares naturas, judex, requisita si libet, Medici sententia antea considerans, aptas vel ineptas ad hujus tormenti tolerantiam judicabit*: Si vero evenerit *ille* casus, ut in pubertati *proximiori* subjecto *integra* non modo *ratio*, sed & satis *robusta* & conveniens *firmitas corporis* præsens fuerit (quemadmodum quidam homines non modo *mature* ad *firmiorem* usum *rationis* perveniunt, sed & sub *mediocri* præstantia mentis, quæ tamen ad *torturam sufficiens*, adeoque non *imbecillitati* annumeranda est, ad *firmum* quoddam *corporis robur* pertingunt,) tunc utique *actualia* tormenta, (licet non protractio ad scalam & extensio membrorum, neque tertius & summus gradus, adeoque neque ziemlicher massen, neque mit der Schärffe, tortura administranda sit,) videlicet applicatio *forcipum* ad digitos, nec non funiculorum usus, (quibus cum non modo initium torturæ faciendum, mit Schnüren oder

Ban-

Banden den Anfang zu machen, quando reus *non tam arcte*, constringitur, sed vincitur ac paululum ligatur,) sed etiam *arctior juncturarum* manuum constrictio admitti possunt, quia in tali subjecto ob *distinctas animi* ac *corporis* qualitates & *sufficiens robur*, vires *has* tormentorum *species* tolerant, quemadmodum tales adhuc *impuberes* homines facile illum canonem intelligere possunt, quod qui in *delictum* consentit, etiam in *pœnam* consentire censendus sit; quid quod *pravitas animi* impuberum superat aliquando malitiam & astutiam puberum & natu majorum, ut ita *Platonis* effatum *lib. 7. de legib. pueri quoniam prudentiæ fontem nondum perfectum habent, non solum acerrimi & petulantissimi, sed & insidiosissimi omnium bestiarum sunt*, non *absolute* impuberes *eximit* a tortura, nisi in hac annotatione jus *adaptari debeat his, quæ secundum plurimum eveniunt, non vero iis, quæ raro contingunt, ut habetur per l. ex his & per l. seq. ff. de leg. & Sens. & cons. & per l. neque Leges ibid.* quod vero a *fortiori* tormenti gradu *impuberes absolute* excepti sint, non modo a *Medicis*, (inter quos *Fort. Fidelem Relat. Med. Lib. 2. Sect. 3. c. 2.* allegamus) sed & *Jureconsultis* comprobatur: quando vero quidam homines *legitimam* & consuetam pubertatis periodum attigerunt, *corpore* tamen & *animo* adhuc *teneri* & imbecilles sunt, tunc nihilominus tormentis *actualibus* aut *realibus* submitti *non* debent, quia ipsis gravis inde *sanitatis* læsio & *vitæ* afflictio imminet, dum *animus corpusve ineptitudinem* quandam gerunt, quo minus torturæ *majores* & cum *magno cruciatu* affligentes gradus sustineant; quam observationem etiam modo citatus *Fidelis l. c.* profert: & dum *sequior* sexus præ masculino communem *teneritudinem* &

molli-

mollitiem animi corporisve possidet; propterea eidem etiam *parcendum* est, quamvis jam *pubertatis* terminum *attigerit*, aut quadantenus *superaverit*, si præcipue prædicta *imbecillitas* obest: quamvis contrariantem aliquatenus adsertionem proferat *Löw. l. c. p. 786. §. 3. n. 4.* quando dicit: *unde cum ætas non æqualiter in omnibus personis, neque in omnibus provinciis succrescat, ut in vigore corporis & animi ita proficiant: unde & Juris-Consulti illam ætatem pro tortura sustinenda ad annum decimum octavum in pueris & decimum quintum annum usque extenderunt in puellis: ita quoque observatur in nostro novo processu criminali in Regno Bohemiæ artic. 17. §. 1.* nos *Fæminis* ob *communem* & distinctam *teneritudinem* potius *plures* annos in *consueto* vitæ tramite largimur, quo *sufficienti* robore ad perferenda *tormenta* instruuntur, ni in iisdem etiam natura aliquid *extraordinarium* & *præmaturum* efficiat: ubi quæstio nobis non decidenda & applicanda venit, *an fæminæ maturius pubescant, quam masculi*, quæ sententia a nonnullis supponitur; quam allegat *Zacchias Lib. 1. tit. 1. qu. 6.* quod assertum tamen negamus; unde haud cum illis consentimus, qui fæminæ *duodecim* ad *pubescentiam* annos tribuunt, *vid. Zacch. l. c. n. 28.* quem terminum *præcocem* vocat, *n. 29. 37.* & de eodem dicit: quod *ex fœminis vix duodecima pars in duodecimo ætatis anno menstruetur n. 34.* alias puellæ *unius*, *duorum*, *trium*, *quatuor* &c. annorum *Menstruatæ* etiam puberes vocari queant: quare idem *Zacch. n. 36.* dicit: quod hic terminus *duodecim* annorum a JCtis fæminis ad pubescentiam adsignatus, *præcocior sit, quam par est:* unde liquet quod *JCti Medicorum* observationibus niti & non semper *receptis* opinionibus, aut *legibus*, quæ porro talibus *opinionibus*

nitun-

nituntur, firmiter inhærere debeant: ſiquidem in *præſenti* animadverſione neque *ſufficienter* hactenus *probatum* fuit, quod in certis *Provinciis* quædam fœminæ *citius*, quam maſculi *pubeſcant*; & ſi hæc traditio etiam vera eſſet, tunc ex obſervationibus & legibus *provincialibus*, non valet conſequentia ad *univerſale*. Denique hac occaſione *illam* quæſtionem proponimus & ventilamus, an puella quæ *decimum quartum* ætatis annum non modo *attigit*, ſed etiam ſuperavit, *tortura* affici debeat, quando *nondum Menſtruata* fuit, aut quando nunc *prima* aut *altera* vice *Menſium* fluxum experitur? hanc quæſtionem *Negativa* decidimus, ob rationes, quia fæmellæ, quæ *hoc* tempore *nondum* hoc *uterinum* purgamen ſubiere, aut *perfecte* valetudinariæ, aut *ſemi* tales exiſtunt; ſiquidem *retardatio* Menſtrui fluxus utplurimum *connexam adverſam* valetudinem, vel minorem, vel majorem, ſemper tamen in *deteriorem* ſtatum inclinantem complectitur: quando itaque in tali ſtatu aut *territio* nuda & *verbalis*, aut *realis* adhibetur, tunc facile & repente *majus* corpori & *vitæ* imminet *damnum*, quod tam eximia *animi* commotione & *angore* excitatum, *ſubitaneos*, impetuoſos & valde *pernicioſos* eventus cauſatur: nam ſtatus *morboſus* jam aliquandiu gliſcens, *ſimul* & *ſemel* commotus, peſſimos & interdum *repente funeſtos* facit progreſſus: quando etiam *Menſtrua*, *prima vice* imminentia & erumpentia, tam *gravi* & *animum* vehementer offendente & *perturbante* cauſa, quæ in vehementi *metu* & *angore* de ſubeunda *tortura* conſiſtit, alterantur, tunc teſte *experientia*, qua cauſas *minoris* momenti & efficaciæ conciliamus, *ſimul & ſemel totus* Menſium proceſſus graviſſime *confunditur*, ut vel præcoces & *periculoſæ* ſanitatis perverſiones

D orian-

oriantur, vel in tantum *morbosi* ſtatus gradum conjiciantur, ut *ægre*, aliquando *nunquam*, ſollicita quamvis *medica* ope adhibita, reſtitui queant, quin *complicati*, *intricati*, *refractarii* & *corrupti* inde facile proveniant morbi: quibus ſubjectis propterea tormenta haud adjudicanda & applicanda ſunt: idem etiam valet, quando fæmellæ tales *primam difficilem* & valde *doloroſam* Menſium eruptionem ſubierunt, quibus imminente *altera*, aut *tertia* eruptione atque periodo, *haud* tortura adhibenda eſt, ne perinde *gravia* & *ægre* aut *vix* corrigibilia *ſanitatis* detrimenta, conſequantur: tanto minus vero conſultum eſt, talibus ſubjectis jam *appropinquante*, aut *præſente* & continuante periodo, qua *Menſes* fluere debent, *tormenta* applicare; ſed potius convenit, cum ejusmodi perſonis *aliquandiu* moram tenere, quo cum hoc *intricato* Menſium negotio natura quadantenus *in ordinem* tranſeat, ut nunc *ſecurius*, hoc acerbius eruendi veritatem medium adminiſtrari & in uſum trahi queat: in *genere* denique ſciendum eſt, quod a *Menſium* proceſſu, valde alterato, *repentini*, aut *eximii* morboſi affectus ortum trahere ſoleant: ubi ſimul *Medici reliquum* perſonæ *animi corporisve* ſtatum explorare debent, an videlicet illa valde *ſenſibilis*, *immorigera*, *corruptorum* & valde exorbitantium *morum* ſit, an quoad *corporis* conſtitutionem valde *plethorica*, temperamenti *calidi*, *cacochymica*, *perturbatis* aliarum *evacuationum* ſucceſſibus afflicta, motibus morboſis, *ſpaſticis*, *congeſtoriis* &c. obnoxia exiſtat, ſub quali ſtatu tanto minus eadem ad torturam *aptum* exhibet ſubjectum, ut propterea, ſi talium ſubjectorum *vitæ* & *ſanitatis* ratio habenda eſt, major *circumſpectio* requiratur, neque *tormentorum* applicatio ſubminiſtretur aut acceleretur:

tur: Et hæc momenta, quoad *impuberis* ætatis disquisitionem se attentæ observationi submittunt.

§. VI.

Respectu Ætatis nunc *Senum* ratio habenda est, qui *limitatam* immunitatem & *exceptionem* a *Tortura* tenent & possident, quoniam *Senectus* pro *morbo* habetur, Senes pro hominibus, *animo* & *corpore debilibus*, aliquando semi *delirantibus*, *memoriæ vitiis* laborantibus & *puerili sensu* præditis æstimantur: *conf. Criminalistæ præc. Tabor l. c. ff. 29. Zanger l. c. n. 38. seq. Matthæus de Crimin. l. c. n. 10.* qui dicit: *quia Senes bis pueri sunt: Dambouder l. c. n. 5.* qui Senes *pene delirantes* æstimat & quos multos allegat *Carpzov. qu. 118. n. 35. seq. Zacchias l. c. n. 5. seq. (concil. ejusd. Lib. 1. tit. 1. qv. 9. n. 25. cum notis Ziegleri.) Fort. Fidelis l. c.* siquidem etiam *Stryckius de Jure Sensuum diss. 9. c. 2. n. 6. obliviosos* senes esse judicat: attamen simul *n. 7.* addit: quod *sæpe senes memoria pollentes reperiantur, & certius illorum recordentur, quæ in Juventute, sensibus perceperunt, quam quæ ante spatium aliquot septimanarum:* haud vero necesse est, multum sollicitum esse circa *certum senii* terminum; unde prædicti Ddres adserunt, quod judex non tam *de ætate*, quam de *infirmitate senum* inquirere debeat, ita *Blumbacher l. c. n. 12. p. 128.* dicit: Ein Richter hat nicht so fast auf die Zahl der Jahre, als auf die Schwachheit des Leibes und der Kräfften zu sehen: *Carpzovius* impr. *n. 38.* dicit: quod illi senes torqueri haud debeant, qui *ætate sunt defecti & bonam partem virium, consilii & mentis, propter senectutem amiserunt:* hinc *Ulpianus senes ob virium imbecillitatem a tortura liberat*, de quibus *author ipse* asserit, *quales ii solum sunt, qui corporis imbecillitate laborant, ut sine vi-*

tæ periculo præsenti tormentis interrogari nequeant: conf. Theodoricus in judic. Crimin. pract. Cap. IX. aph. X. lit. c. n. 4. p. 1263, qui quoad *differentiam Senum* provocat ad *Menoch. cas. 59.* quare *Zacchias l. c. n. 6.* loquitur: *melior est Jurisconsultorum sententia, quia nullus certus terminus in ulla re, & præc. in ætatum mutatione potest in particularibus assignari & sic Judicis arbitrium in hoc intervenire debet: erit enim qui sexagesimo tertio ætatis anno, vegetior & robustior erit alio, qui nondum quinquagesimum excesserit:* & quamvis communiter a *sexagesimo* ætatis anno, aut secundum alios (*vid. Zacch. & Fort. Fidelis*) a *sexagesimo tertio* & ita dicto *magno climacterico* anno *senectus* numeretur, tamen crebra occurrit observatio, quod in *hac ætatis periodo* multi senes *bono animi corporisve* vigore, firmitate & *robore* instructi sint: quare non *promiscue* & *quoscunque* senes a tormentis immunes declarant Doctores: siquidem *Carpzovius* inter alios eloquitur: *n. 39. neque tutum esset generaliter affirmare, a tormentis excusari senes, cum hac ratione sæpe versuti senes, præs. mulieres veneficæ impunitatem assequerentur:* non itaq; quæstio est de decrepita & effœta senectute, siquidem juxta regulas & æstimationes *medicas* senes interdũ adhuc vegeti sunt & comparate *sufficientem* animi & corporis *firmitatem* continent, qua *sine offensa* sanitatis tormenta sustinere queunt; quid quod corpus senum tanta sæpe pollet *rigida* densitate, ut hac adminiculante aliquoties satis *duros* labores exercere queant, modo de reliquo *sani* sint: haud enim *absolutæ* necessitatis est, ut in *quolibet senii* stadio & statu subjecta *infirma* & adversa sanitate oppressa sint: ita *Riedlinus in Lin. Med. An. 1. Mens. Octobr. obs. 24. p. 348. Torturæ in vetula septuagenaria non tam viribus, quam annis sene & sat adhuc*

ro-

robusta concessæ & cum successu administratæ mentionem facit: quamobrem *Zacchias l. c.* judicat: *nisi præcipitatæ ætatis sint, & viribus effœtis non video, cur non possint, saltem levioribus tormentis cruciari!* ex quibus liquet, quod sub *certis* circumstantiis etiam *talia senilia* subjecta torturam perferre possint, quæ jam *septuagesimum* ætatis annum attigerunt: hinc non modo juxta *Farinacium qv. 41. n. 29. Carpzov. qv. 118. n. 38. & 42. Brunnemann.* Anleitung zu vorsichtiger Anstellung des *inquisitions-Processes*, Anmerckungen über das *X. Cap. §. 2. p. 352. Blumblacher l. c.* (cujus verba sunt: Wann demnach ein 60 oder 70 jähriger Mann, oder Persohn noch bey ziemlicher Stärcke wäre, gestalten es dann dergleichen Leute wohl giebt, so wäre eine solche Persohn noch wohl, jedoch gering und mit solcher Bescheidenheit zu torquiren, auf daß er demselben an Gesundheit und Leben keinen Schaden brächte.) *Franc. Personalis de indiciis & tortura n. 15.* (qui judicat: *Senes vel saltem leviter torquentur, & per unum miserere in tortura retinentur*) *apta* senilia subjecta *terreri*, sed & secundum *Tabor l. c. leviter* aliquando *torqueri* possunt, videlicet *forcipum*, imo *funiculorum* applicatione, quia rigidius illorum corpus *non ita sensibile* est, ac juniorum: servata illa cautela, ne *læsiones* quædam sub tortura *graviores* inferantur, quæ in *senilibus* subjectis *tardius* & *ægrius* reparantur & quoad *consolidationem* variis *damnis* & pravis accidentalibus consecutionibus obnoxiæ sunt; quanquando itaque quidam senes *vires sufficientes* possident ad committenda latrocinia, robbariam, furta violenta cum effractione, violenta stupra &c. tunc *justam* contra se suppetunt præsumptionem & æstimationem, quod in casu ne-

 cessi-

ceſſitatis *tormenta*, tolerare queant: attamen in hac disquiſitione iterum *medica* occurrit quæſtio, an videlicet *ſenex animo* & *corpore* vigoroſus, (& hisce qualitatibus ad admittendam *torturam* idoneus) tamen *ominoſa* ſanguinis *plenitudine* obrutus, *ſpirituoſo* potu frequentius oppletus, repentinis & *periculoſis* ſanguinis *commotionibus* obnoxius, in *apoplecticos* affectus ex variis *cauſis* & *indiciis* proclivis, tortura affici queat? pro hac quæſtione decidenda iterum *Negativam* tuemur ſententiam, quoniam ob animi vel *anguſtiam*, vel *indignationem*, vel *aliam* perturbationem, nec non ob *dolorem* indeque oborientem gravem & *perverſam* ſanguinis *commotionem*, prædictus valde *periculoſus* affectus facile excitari poteſt, ni *medica* ope ejusmodi pravæ conſecutioni *præveniatur;* ubi vero antea *perita* indagatio *medica* inſtituenda eſt, an etiam ejusmodi ſenilia ſubjecta *talibus* qualitatibus prædita ſint, ne haſce frivole & aſtute *ſimulent*, & ex titulo *qualificati* ſenii torturam & confeſſionem delicti declinare cogitent: Denique in hac circumſtantia addimus verba: *Frölichs de Frölichsburg in Comment. in C.C. Lib.3. tit.5. n.5. p.202.* da aber ein 60 oder 70 jähriger Mann einer noch friſchen Gedächtniß, völligen Verſtandes und guter Leibes-Kräfften wäre, könnte dergleichen einer ohne Beſchwehrde mit der Tortur beleget werden: ubi addit illa jocoſa: wie denn die alte noch Zaum-zähe Hexen-Mütterlein der Tortur nicht befreyet ſeyn; Hoc loco etiam per *medicam* cognitionem teſtamur, quod ſenes, *aliquo* modo debiles, *nuda territione*, aut verbali comminatione affici queant, quorum *animus* hoc modo *quadantenus* torquetur; id quod *Jul. Clarus quæſt.64.n.22.* & modo nominatus *Frölichsburg* concedunt: Et hæc de relatione ætatis *Senilis* ad *Torturam* ſufficiunt.

§.VII.

§. VII.

Proxima nunc ventilanda occurrit quæſtio, an *Rationis confuſione* & *impotentia* præditi, *Torturæ* ſubmitti queant? hæc quæſtio *duplicem* ſenſum comprehendit, an videlicet *Furioſi* & mente penitus *capti* torqueri queant & an *aliqualem* & per *intervalla* recurrentem, aut exacerbatum impetum & *defectum* rationis ſubeuntes, tormenta ſuſtinere poſſint? prioris conditionis vulgo dicuntur *Furioſi, Maniaci*, *rabie* quadam afflicti, adeoque *ſibi haud conſcii*, neque *memores*, neque *deliberato* animo & *malitia* quicquam committentes, hinc *omni intellectu* deſtituti, *mortuo comparandi* & *per omnia ac in omnibus abſentis, aut quieſcentis loco habendi a Carpzovio l. c. n. 17.* judicantur, de quibus *ſine* ulla *limitatione* & *diſcretione* Criminaliſtæ judicant, quod *nequaquam dubium ſit, quin furioſi a tortura excipiantur, vid. Zanger l. c. n. 43. Theodor. l. c. lit. b. n. 3. p. 1262.* ſiquidem quæſtiones *ſub tortura* propoſitæ *firma* & *integra* ſibi & rerum *ante actarum* conſcia ratione decidi debent; quale quid *morali* æſtimatione a furioſo nunquam expectari poteſt; hinc JCti etiam decernunt, quod, ſi quis *integra* ratione præditus, *delictum* commiſerit, *poſtea* vero in *rationis perverſionem* incidat, *tortura* is affici *haud* queat, *conf. Theodor. l. c. Bocer. de qv. & tort. c. 4. n. 10.* & ex eodem *Carpzov. l. c.* & quamvis *furioſus* de decreto torturæ & fine ejusdem, ut & *confeſſione* ex tortura obtinenda *nullum ſenſum* regularem & *diſtinctum* habeat, ut propterea *finis* torturæ *nullo modo* obtineri queat, tamen quia *communiter* homines *delirantes* quoad *vitæ naturalis* & corporis œconomiam *intricata*, *complicata* & *refractaria* qualitate *valetudinarii* ſunt, *eapropter* etiam a tor-

men-

mentorum afflictione liberi existunt, quoniam in tali statu ob *qualificatam animi* & *corporis* afflictionem, facile & vehementer *periculosa morbosa* corporis alteratio per *torturam*, quæ in talibus subjectis sine *eximia violentia* committi haud potest, excitari & accelerari potest, velut impetuosa commotio sanguinis, quæ ominosis *orgasmis*, immoderatis *congestionibus*, funestis *extravasationibus*, magnis *stagnationibus* & *stasibus* se exserere potest, quibus afflictionibus facile *inflammationes* extreme periculosæ & præcipue *phrenitis*, *angina*, nec non *Apoplexia*, *convulsiones*, *suffocationes*, *hæmorrhagiæ* excedentes & *mors subitanea* supervenire possunt, ut ob corporis & *valetudinis* rationem *tortura* talibus subjectis adplicari haud queat: Quod porro *Melancholicos* attinet, tunc tales homines aut *majori* aut *mitiori* gradu hujus animi morbi afflicti sunt: quando *Melancholica* mentis *major* & *constantior* perturbatio in quodam subjecto occurrit, tunc ob modo traditas causas tormenta ipsis adhiberi *haud* possunt: siquidem communiter Doctores *summum* Melancholiæ gradum advertunt, quando subjecta a tortura *immunia* declarari debent; quando vero Melancholia *mitior* est, suaque *intervalla* tenet, tunc iterum tortura locum *non* invenit, quoniam hæc facile *acerbiores* insultus & periculosiores *consecutiones* provocare potest: quemadmodum etiam *leniores* melancholici *valetudinariis* hominibus adscribendi sunt, qui comuniter *quotidianas* aut *animi*, aut *corporis* afflictiones experiuntur: quoniam itaque *tortura aliqualem* animi & corporis *firmitatem* requirit, *utriusque* vero subjecti firmitas in *Melancholicis* deficit, ob id cum securitate talia subjecta tormentis affligi *haud* debent: & quando *Brunnemannus in Processu Inquisitio-*

ſitionis cap. 8. membr. 5. n. 27. ſtatuit, quod *liberatio a quæſtione vel abſolute, vel ad tempus valeat*, tunc in applicatione ad *præſentem* obſervationem, quidam torturam *Melancholicis illo* tempore admittunt & adjudicant, quando affectus *aliquo modo remiſit;* ſicut *Wildvogel in diſp. alleg. c. 7. ſ. 8. p. 44.* dicit: *quod ſi igitur inquiſitus pro vero Melancholico habeatur, non dubitandum, quin a tortura ſit immunis, ut Dni Scabini Jenenſes*, teſte *Theodorico reſponderunt: Negandum tamen non eſt judicem, ſi affectus remittat & inquiſitus ad ſaniorem mentem redeat, ad torturam progredi poſſe in caſu, ubi cum dilucido intervallo deliquit, vel Melancholia ſupervenit, Menoch. de arbitr. jud. quæſt. lib. 2. caſ. 325. n. 11. conf. Brunnem.* Anleit. zum *inquiſit. Proceſs* Anmerckung *in cap. X. art. 6. p. 351.* Nos talem caſum ita decidimus, quod *lenis* melancholiæ remiſſio, tam quoad *animum*, quam quoad *corpus nondum* torturam concedat, ſiquidem vel *prævia torturæ* annunciatio Melancholicis ſubjectis profundas *anguſtias*, *animo* & *corpori* nocivas, extorquet, *repentina* vero, ſubitaneas alterationes, in genere vero aut *comminatio*, aut *applicatio* torturæ priſtinos *acerbiores* gradus melancholici affectus *facile* revocare & exaſperare poteſt, ut *ſubitanea* talis excitatio longe *periculoſiores* affectus cauſetur, quam *priores* extiterunt: quamobrem *magna* & *ſufficiens* affectus Melancholici *remiſſio* requiritur, ſi in talibus ſubjectis tortura locum invenire poteſt, ſiquidem ſtatus Melancholicus valde *intricatus* eſt, ut circa illius tractationem & dijudicationem eximia *peritia* & *prudentia* neceſſaria exiſtat; quare *ſæpe verum* eſt nonnullorum JCtorum judicium, quod *ſemel furioſus, ſemper talis præſumatur & quod demens de præterito, præſu-*

E *ma-*

matur talis de præsenti, videlicet in *proximiori proclivitate conf. P. Zacchias lib. 2. tit. 1. qu. 23.* & quando porro Melancholicorum ſubjectorum *remiſſiones* aut *intervalla* vel *dilucida*, vel *obſcura* ſunt, qualem diſtinctionem *P. Zacch. lib. 2. tit. 1. qu. 21. n. 26.* & ex hoc *Tabor l. c. ʃ. 24.* proferunt, tamen in torturæ adjudicatione & adminiſtratione *tali* intervallo cum ſecuritate *nulla fides* eſt habenda, quamobrem *Zacchias l. c.* dicit: *ii, qui manifeſta habent dilucida intervalla, in plerisque ut ſani habendi, ſi modo nonnulla excipias, quod tam in præjudicialibus, quam favorabilibus locum habebit: in favorabilibus enim, e. g. patet quod tales teſtari poſſint l. furioſum ʃ. ſi vero C. qui teſt. fac. poſſ. in præjudicialibus autem qui non excuſantur a pœna ſi delinquant, Gaballus Reſolut. Crimin. Cent. 2. caſ. 297. n. 38. at ii qui tantum remiſſiones, non intermiſſiones dementiæ habent, ex mea ſententia ut inſani judicandi:* de talibus ſubjectis *Tabor l. c.* judicat: *in hac cauſa dicendum, eos qui ſemel vero furore correpti ſunt, ne quidem eo tempore, quo dilucida furoris intervalla habent, tormentis ſubjici poſſe, cum ſic facile fieri poſſit, ut vehementia doloris in priſtinam calamitatem conjiciantur, adeoque certum judicium hinc ferri nequeat:* In *mitiori* vero melancholico ſtatu, *mitior torturæ* gradus, prout circumſtantiæ *Subjecti* permittunt, locum nihilominus invenit: ne vero perſonæ *ſuſpectæ* melancholiam *fingant* & ſimulent, perinde judicioſo & perito *Medico* ſcrutamine opus eſt, ſiquidem JCti hoc *malitioſorum* hominum refugium declinant: unde *Carpzov. l. c. qu. 118. n. 19.* ſentit: *Quare & Scabini priusquam adverſus ejusmodi homines quicquam decernant, indagationem & judicium periti alicujus Medici requirunt, ne ſcilicet malefici homines furorem & melan-*

cho-

choliam fingentes, torturam ac pœnam effugiant. Frölich l. c. n. 2. ita judicat: Damit aber niemand mittelst ertichteter Aberwitz-höchsten Traurig- und Kleinmüthigkeit die Tortur entfliehe, soll ein Richter in zweiffelhafften Fall einen berühmten Medicum berathschlagen und selben fragen, ob es wohl eine wahre Aberwitzigkeit, item Kleinmüthigkeit sey? *conf. Ludovici in C. C. art. 59.* cujus verba sunt: *intuitu melancholicorum quoque medici sunt consulendi, an melancholia vera adsit, an vero talis saltem simuletur,* nec non in Peinl. *Process c. 9. §. 47.* Wann man nur gewiß ist, daß sie unsinnig seyn, als wobey man verständiger Medicorum Gutachtē mit adhibiren muß. *vid. Brunnemann.* Anleit. zum *Inquisitions-Proceß* Anmerckung *in Cap. X. art. 6. p. 351. 352.* In tali casu dicit *Wildvogel l. c. incumbit* etiam *judici malitiis hominum obviare & iis non indulgere:* quo vero in *arbitrio* suo *judices* civiles *certius* succedere & judicare queant, præstat *Medicos* in consilium vocare, qui de Melancholia *vera* & *ficta* meliori cognitione magisque fundata ratione judicare possunt: etenim *astu* & malitia hominum suspectorum in multis casibus admodum *magna* est, qua *civilium* judicum arbitrium facile *occœcari* potest, (siquidem ipse Rex & Propheta *David simulato* suo furore, Regem Achim obnubilavit) quo minus cognoscerent *verum*, eam ob causam *Medici* requirendi sunt, an ex *corporis* & cohærentium rerum *naturalium* ratione & constitutione *veram* animi *perversionem* cognoscere queant; ad quam veritatem eruendam *aliorum* hominum, cum *suspectis* talibus personis commercium & *quotidianam* rationem & conversationem servantium, insuperque illarum *actiones*, provide observantium & *comparantium*, animadversiones & *testimonia* non

parum contribuunt: quod vero homines *dolose* Melancholiam & amentiam *simulare* queant, *conf.* testimonia in *D.D. Præsidis Jurispr. Med. Tom. I. Part. I. cap. X. de Morb. simul. §. XI. lit. a.* ut & *Borellus Cent. 3. obs. 30.* Denique hoc ordine reminiscimur *miserabilium talium* personarum, quæ nec furore, nec melancholia affectæ, sed *stupidæ* & *fatuæ* sunt, quæve ad interrogata *nihil distinctum*, aut perspicuum regerere possunt & quæ propterea *animo*, imo utplurimum *corpore* imbecilla & *infirma* existunt, a quibus *nullo* modo *finis* ille obtineri potest, qui cum *tortura* intenditur, & si talium subjectorum œconomia *vitalis* non *eminenti* effectu & periculo *læditur* ac afficitur, tamen hac offensa *animi stupor magis* confirmatur & *scopus torturæ haud* obtinetur, ut propterea per *sensus naturalis* suffragium ejusmodi subjecta tormentis submitti *nequeant*: quid quod *experientiæ* Medicæ testimonium est, quod si *tales* personæ ex *prægnanti* quadam causa & occasione *sensibiliter* afficiantur, tunc in *gravius animi* ac *corporis* damnum delabantur; quemadmodum tales *stupidi* homines *utplurimum accelerata* morte expirant, qualem tormenta, *animum* & *corpus* per *dolorem* afficientia, *facile* provocare possunt, id quod respectu personarum, *ætate*, *temperamento*, *educatione*, *diæta*, *vitæ genere*, ratione *morborum prægressorum*, *hæreditariæ* dispositionis, perpessorum casuum *violentorum* &c. & *causarum* inde fluentium qualitate *facilius* evenire potest: ut propterea in *talibus* animadversionibus quælibet *prudens* disquisitio medica necessaria existat.

§. VIII.

Posteaquam hactenus *Sensuum internorum imbecillitatem* exploravimus & cum *tormentorum* tolerantia com-

paravimus, ita nunc *externorum* Sensuum defectus aliquo modo dijudicabimus; quo loco quæstio ventilanda erit, an *Cæci*, *Surdi* & *Muti* torturæ submitti queant? De *cæcis* non multa occurrit dubitatio, unde *utplurimum* a tortura immunes judicantur, siquidem illorum confessio de *patrato* crimine, aut *circumstantiis* illius admodum imperfecta & *dubia* creditur, hinc Criminalistæ tantum admittunt confessionem a *cæcis extorquendam*, quando factum quoddam pœna dignum, *illo* tempore commiserunt, *quo visu* legitimo præditi fuerant: *vid. Zanger. l. c. n. 48.* & quamvis plures casus contingere queant, in quibus *cæcorum* testimonium & confessio etiam per *tormenta* exquiri debet, tamen hæc circumstantia ad *medicum* forum haud spectat: Interim quidem *Cæci* annumerantur personis *miserabilibus*, juxta *Stryckium de Jure Sensuum diss. 2. cap. 1. n. 4.* ubi annotatur, quod *ob utramvis cæcitatem in jure aliquis morbosus dicatur*, unde concludi posset, quod si homines *morbosi* magnam *immunitatem* a *tormentis* habent, eapropter etiam *cæci* ab iisdem *liberi* esse debeant: *major* calamitas quidem & *naturæ* potestate, aut *artis* ope *vix curabilis* est cœcitas a *nativitate*, ea propter vero tales homines neque *deliri*, neque penitus *stupidi*, neque *exacte* valetudinarii sunt, testimonio illius *a nativitate* cæci, quem Salvator sanavit, qui de *præterito* suo statu aliqualem *rationalem* & *distinctam* confessionem tradere & rationem reddere potuit: quare *sola* cœcitas *non per se rationis impotentiam* & corporis *morbosam* qualitatem infert: ita *JCti suas* proferunt rationes, cur *cæcos a tortura immunes haud* declarent. *vid. Carpzov. l. c. n. 23. Stryck. l. c. cap. 5. n. 13. 14. Wildvogel de arbitr. Judic. circ. tort. c. 7.*

ſ. 9. p. 44. 45. propterea vero *non penitus* circa *cæcorum* dijudicationem *Medicorum* ſententiæ negligendæ ſunt; etenim dantur *cæci* cum notabili *rationis imbecillitate* præditi, qui ob cauſas etiam *morales* propterea ad *torturam* ſubeundam *inepti* ſunt; dantur etiam *cæci*, qui varias *corporis morboſas* calamitates una ſuſtinent, ſive *capitis*, ſive *pectoris*, ſive *alterius* regionis paſſiones, ut propter talem *complicatum* ſtatum ejusmodi ſubjecta, utpote valde *afflicta*, *miſerabilia* & *valetudinaria*, tormentis ſubmitti *haud* queant: intereſt itaque, ut *Medicus* cognoſcat, inquirat & referat, quæ fuerit *origo*, *cauſa*, *duratio*, *qualitas*, *connexio* &c. cœcitatis, ut exinde *concluſio* formari queat, an talis homo *idoneum* torturæ ſubjectum ſit, ut etiam *Judex* pro ſuo *arbitrio* agnoſcere queat, *quantum* de tortura talis ſubjecti expectare queat, ut *finis ſufficiens* obtineatur, ne fruſtra *grave* tale medium & ſubſidium ſuſcipiatur & exerceatur: Proinde notandum, quod *Cæcitas comparate ſæpius* arduas & *magni* momenti *cauſas morboſas* complectatur, ſi *ex accidenti* eadem obtigit, quæ *plures morboſas* afflictiones inferunt, ut propterea *cæcis* hominibus *communia multa* adminicula deficiant, quæ *ordinariæ* ſanitati *emolumento* & ſubſidio eſſe ſolent, velut *motus corporis*, *labor*, *delectatio* animi cum ſenſu *viſus* acquirenda, ſiquidem hic ſenſus *inter externos optimus* cenſendus eſt: quare ob horum adminiculorum *defectum* ferme plurimi Cœci nunc *plus*, nunc *minus* interim ſemper *aliquatenus* valetudinarii ſunt, quorum ſtatum ſanitatis *labaſcentis*, aut *deſtructæ Medici* omnino cognoſcere debent atque dijudicare: quando itaque cum *Cæcitate* etiam *cerebri* labes & *morboſa* conſtitutio conjuncta eſt, tunc tortura *talibus* ſubjectis adjudi-

judicari *haud* poteſt, quoniam ſub præſente Cœcitatis afflictione, vel *nuda territio* in *debilibus* talibus perſonis *graviſſimam* alterationem cauſari poteſt; ſiquidem affectus *capitis* & *cerebri* haud *magnam animi* commotionem, qualis cum *torturæ* annunciatione ſuccedit, tolerant; Et ſi cœcæ perſonæ aliàs & *communiter debilium* ſunt virium, ita eo minus *regulæ* artis *Medicæ* permittunt, quo tormenta facile illis adhibeantur; quoniam vero *nulla* regula eſt ſine exceptione, ita quidem Cœci poſſunt fieri & eſſe homines, qui quoad reliquam *ſanitatis* œconomiam *vegeti* & *robuſti* eſſe poſſunt, quos vel *judex* agnoſcere, vel *medicus* explorare & dijudicare debet, *an* & *quomodo* tormentis ſubeundis *habiles* eſſe queant: præcipue vero advertendum eſt, an cœcitas *a variolis* orta, quæ frequenter ſi in *utroque* oculo præſto fuerit, *mentis imbecillitatem* conjunctam habet; aut an a *contuſione* & *violentia* capiti illata originem traxerit, an a *philtro* & *veneficio* orta ſit, an ex affectu *phrenitico*, *melancholico* nata &c: in *qualibus* caſibus *tortura* locum *haud* invenit, quoniam ſubjecta utpote aut *plene*, aut *ſemi delira* & *valetudinaria* declaranda ſunt, in talem cenſum venit *Cæcitas poſt ſurditatem*, quæ *qualificatæ* conditionis eſt, qualem *Bartholinus Cent. 4. Ep. 40.* deſcribit, aut *Cæcitas poſt convulſiones*, qualem enarrat *Platerus obſ. Lib. 1. p. 102. Hildanus Cent. 5. obſ. 5. Hagendorn Cent. 1. hiſt. 17.* aut *Cæcitas poſt terrorem &c. conf. A. N. C. dec. 3. an. 5. 6. obſ. 28*, aut *Cæcitas ex caſu ab alto* juxta *Salmuth. Cent. 3. obſ. 42. ex veneno* ſecundum *Tulpium Lib. 1. cap. 31. ex vulnere in occipitio* ex *Marc. Donato Hiſt. admir. lib. 2. ex colapho orta vid. Amatus Luſ. Cent. 7. curat. 44. Zac. Luſ. Prax. admir. Lib. 1. obſ. 52. ex nimia ſternutatione Hildanus*

Cent. 1. obſ. 24. ex cerebri commotione id. Cent. 5. obſ. 8. quibus teſtimoniis & diverſis Cœcitatis cauſis probare volumus, quod *torturæ* qualitas *longe alia* ſubjecta requirat, quam quæ *tali* affectu comprehenſa ſunt, ſiquidem *ejusmodi* Cœcitatis ſpecies & ſubjecta partim per *morales*, partim per *phyſicas* cauſas graviſſime, adeoque cum *magno ſanitatis* detrimento alterari poſſint, ſi in iisdem tortura ſuſcipitur.

§. IX.

De *Surdis* ac *mutis* nunc occurrit quæſtio, an *torturæ* ſubjici queant; quæ de iisdem judicant JCti *Tabor l. c. n. 29. Matthæi de Criminibus l. c. n. 11. Carpzov. qv. 118. n. 21. ſeq. Stryck. de Jur. Senſ. diſp. 4. c. 5. n. 26. Wildvogel cit. diſp. c. 7. n. 10. p. 45. Brunnemannus l. c. n. 33. Struv. de Jure miſerabil. Part. 4. c. 3. ſ. 5. Frölichsburg l. c. n. 3. Blumblacher l. c. n. 13. p. 128. Bocer tr. de quæſt. c. 14. n. 13.* & ex *P. Zacchia* ipſiſſimis verbis *Löw. l. c.* qui tamen hunc authorem non nominat: quorum aliqui ad confeſſionem *fide dignam* præſtandam *minus ſufficienti* intellectu prædita talia ſubjecta declarant, adeoque illa ad torturam ſubeundam *inepta* dijudicant; ubi præcipue ad *talia* ſubjecta animum advertunt, quæ *a nativitate ſimul* ſurda & muta eſſe deprehenduntur, de quibus judicant, quod ut plurimum *velut mente capti* homines agnoſcendi & tractandi ſint: licet de reliquis, qui ex *alio accidenti* talem defectum auditus & loquelæ nacti ſunt, aliter ſentiant, *variosque modos* commendant, quibus exquiſitio & confeſſio a talibus perſonis obtineri queat; qui tamen utplurimum valde *æquivoci* & *dubii* exiſtunt, in quorum dijudicatione propterea *ſingulari* prudentia opus eſt: imprimis vero de

illa

illa circumſtantia quæſtio movetur, an quidam homines *ſurdi* & *muti ſimul* ſint, qui ſtatus ſemper *gravior* exiſtit, quamvis *non ſemper* aut *tantum* ſurdi, aut *ſolum* muti *imbecillitate* rationis laborare ſoleant; neque etiam ſemper *ſimul a nativitate* muti & ſurdi ſunt homines. *vid. exemplum de muto XII. annorum a nativitate, non antea ſurdo Panarolus Pentecoſte 4. obſ. 17.* Interim non deſunt etiam caſus, ubi vel *ſoli ſurdi*, vel *nude muti* mentis *infirmitate* præditi eſſe obſervantur; ut propterea in ſurdorum & mutorum dijudicatione *Medicorum* conſilio iterum opus ſit: deinde vero *præcipua* illa quæſtio *medica* ventilanda obtingit, an homines à *nativitate* & ſurdi & muti, pro *ſemi* aut *quaſi* deliris agnoſcendi ſint: quo loco reminiſcimur effati *P. Zacchiæ lib. 1. tit. 2. qv. 8. n. 1. de mutis & ſurdis peculiaris conſideratio inſtituenda eſt: neque enim ſub amentium aut fatuorum numero videtur nos illos recte comprehendere poſſe, neque tamen ſano judicio illos eſſe vere affirmari poteſt:* in ambiguitate hac idem author tamen judicat, quod *talia* ſubjecta *aliquali* judicii *defectu* laborent: quam ob rem obſervatio *medica* teſtatur, quod *frequentioribus* exemplis confirmari poſſit, mutos & ſurdos a nativitate *ſatis notabili* rationis *imbecillitate* laborare, quæ ob applicationem torturæ tanto magis & facilius *confundi, augeri* & *perturbari* poteſt, quoniam hominibus accidentia, *corpus* valde *affligentia*, magnam *afflictionem* moralem cauſari ſolent, id quod tanto magis in *talibus* ſubjectis obtingit, quæ infirma & *impotenti* ratione laborant, quibus talia, de quibus *recte* judicare haud poſſunt, tanto certius & vehementius *multam calamitatem* & mentis *perverſionem* faceſſunt; teſtimonio illorum caſuum, quando *imbecillioris*

F men-

mentis ſubjecta jocoſa tantum animi vexatione afficiuntur, unde *perverſæ* indignationes, angores, metus aliæque *confuſæ* mentis operationes oriuntur; id quod tanto certius in ſubjectis *præſentis* animadverſionis evenire poteſt: & licet non omnia ſubjecta *a nativitate* ſurda & muta, *uno eodemque* gradu *infirmitatis* mentis laborent, tamen *omnibus aliqualis*, etiamſi *lenior* fuerit, *imbecillitas* rationis adhæret, ob quam *verus torturæ* ſcopus expectari *haud* poteſt, ut eapropter magis *fruſtranea* tormentorum adjudicatio & applicatio prædicenda & expectanda ſit: quod vero ſurdos & mutos concernit, qui ex *morboſa* quadam cauſa, aut *violento* accidentali modo in talem afflictionem inciderunt, tunc quidem ſubjecta quædam *harum qualitatum* nonnunquam occurrunt, quæ quoad *animum* valde *malitioſa* & *callida*, quoad *corpus* vero ſatis *robuſta* & *ſana* ſunt, de quibus & *Judex* & *Medicus* cognoſcere poſſunt, quod *apta* ſatis ad *ſuſtinendam* torturam exiſtant: proinde vero *Medicus* inquirere debet, ex qua *cauſa* & ſurditas & aphonia originem traxit, ſiquidem variæ cauſæ, hosce *defectus* inferentes, multum ad *rationis* & *ſanitatis infirmitatem* contribuunt, adeoque ſubjectum *mente* & *corpore valetudinarium* reddunt, in quo *tortura haud* facile decernenda eſt; tales cauſæ imprimis ſunt, quæ *Cerebrum* valde affecerunt, velut phrenitides, contuſiones, vulnera, depreſſiones cranii, variolæ, convulſiones, deinde etiam *philtra*, *veneficia* &c. quæ communiter *debile* & *morboſum* corpus poſt ſe relinqvunt: & quamvis nonnulli ad varia *artificia* confugiant, quibus procurare volunt, ut *ſurdi* aliorum *interrogationes* intelligere & ad easdem *reſpondere* queant, qualia paſſim allegantur velut a *Braunio in Philoca-*

locopho, vid. Camerarius in Sylloge Memorabil. Cent. 2. partic. 71--78. A. E. L. An. 1701. M. Majo p. 194. A. 1687. M. Octobr. p. 501. A. 1683. M. Majo p. 197. A. 1712. M. Aug. p. 349. 351. Tulpius Lib. 1. c. 41. de muto loquente. Paræus Opp. Chirurg. lib. 22. c. 5. A. N. C. Cent. 1. p. 233. app. tamen illa in ejusmodi personis, quæ sub *inquisitione* stant, & quibus veritas per *rigorosam* quæstionem *extorquenda*, non facile cum *exoptato* successu adhiberi possunt, quoniam *malitiosa renitentia* in iisdem etiam expectanda est: ex singulis hisce annotationibus facile liquet, quod in *Surdorum* & *Mutorum* exploratione, an ad *torturam, habiles* sint homines, judiciosorum & peritorum *Medicorum* cognitio & decisio utplurimum admodum necessaria existat: quo loco adhuc monemus, quomodo tali *extremorum* sensuum labe ac *defectu* afflicti homines, communiter in *moribus* valde *corrupti*, suspicaces, aliquando insidiosi, malevoli, malitiosi, astuti & in varia *simulationis* ac flagitii specimina proni existant, ut de iisdem etiam commune aliquando valeat dicterium, es wären diese die schlimmsten Leute, welche GOtt mit dergleichen Leibes-Mängeln bezeichnet: Unde non sufficit, si surdus & mutus *scripto* respondere potest, quod *propterea* ad *tormenta* subeunda *habilis* existat; neque *medica* æstimatione valet consequentia, quod talis homo etiam *torqueri* queat, cum *propter sanum intellectum testamentum condere possit*, qualem argumentationem *Carpzovius* format *l. c. n. 22.* & *Blumblacher l. c.* nam inter utrumque *actum* ejusque *circumstantias* magnum versatur *discrimen:* neque quidem hic necesse ducimus *rationes* plenius allegare, cur surdi & muti aliquando *integra* ratione privati sint, quoniam ob eandem *mentis confusionem* a

tortura liberi ſunt, ſive cauſa *phyſica* hæreat in *genere nervoſo*, ſive in *mala* & *præternaturali* conformatione & diſpoſitione partium: illud præcipue annotare & allegare, imo *demonſtrare* convenit, an etiam ſurdi & muti ob *mentis* ad ſubeundam *torturam ſufficientem* quidem capacitatem, attamen ob aliqualem notatu dignam *corporis* & *ſanitatis* conjunctam adverſam & *valetudinariam* diſpoſitionem, habiles & *idonei* ſint; ad quam quæſtionem decidendam, etiam *ſpeciales* caſus occurrentes, quoad *peculiares* circumſtantias dijudicandi ſunt. Et quoniam malitioſi homines ſe etiam *mutos ſimulare* poſſunt. *vid. D. D. Præſidis Jurisprud. med. Vol. I. cap. X. ſ. 13. lit. a.* ita ad vitandam hanc fraudem & deceptionem cautela & prudentia opus eſt.

§. X.

Præterea dantur etiam homines, qui quidem *comparate ſani* videntur, ſed qui ob certam *corporis conſtitutionem* ab acerbiori aut *majori* torturæ gradu immunes exiſtunt; ejusmodi ſubjecta ſunt admodum *obeſa* & *pingui* corpore prædita, quæ licet nonnunquam *athletice* ſana *videntur*, tamen *repentinis* & multiplicibus *morboſis* incommodis obnoxia ſunt: quibus *funiculi* haud applicari & quæ nec ad equuleum & *ſcalam* duci, nec membris *extendi* poſſunt & debent; ſicut hujus conſiderationis quadantenus *Fort. Fidelis Lib. 2. Sect. 3. c. 3. p. 251.* & *Zacchias Lib. 6. tit. 2. qv. 4. n. 14.* reminiſcuntur; interim *territio* & *forcipum* applicatio in iisdem locum invenit: quoniam vero *fidiculæ* juncturas valde *lædunt*, *dolores* magnos inferunt, *cruentationem* ſatis magnam cauſantur, ita in ejusmodi corporibus *pravos* effectus producere poſſunt, videlicet

delicet in affectis partibus periculosas humorum *stases*, *tumores* admodum suspectos, *inflammationes* valde *intricatas*, repentinam *sphacelationem*, ut propterea & *medici* & *judices* de iisdem justum semper *metum* habere debeant: id quod tanto magis valet in subjectis distincte *valde plethoricis*, de calido *temperamento* participantibus, in diæta *spirituosa* viventibus, & frequentioribus *inordinatis* sanguinis commotionibus *orgasticis*, *congestoriis* & *eluctatoriis* expositis: neque talia subjecta violentam super scalam *extensionem* sine *vitæ* & *sanitatis* dispendio patiuntur, quoniam illa in tam succulentis personis, in quibus *fibrarum motricium* vis valde *impedita* & *debilitata*, nec non a *nimia pinguedine* accumbente & *aggravante* perquam *labefactata* est, facile perniciosas partium *atonias*, funestas humorum *stases*, subitaneas illorum *corruptiones* causatur, aut *lethiferas* sanguinis perruptiones & *extravasationes* infert, quales *fatales* effectus tanto *citius* ingruunt, quo magis tales *perniciosæ* alterationes *pectori*, aut *capiti vicinæ* existunt, quemadmodum *communiter obesi* tales homines in *pectore* & *capite* aliquas molestias experiuntur, velut *asthmata*, aut *oppressam* respirationem, *angustias*, *dolores* capitis, *vertiginosas* perturbationes & diversas alias *capitis* afflictiones, nec non *colli* incommoda, quæ a *tormentis* inflictis excitata, aut *exacerbata* eo *perniciosiores* effectus habere solent: tanto *minus* vero cujuscunque gradus tortura convenit obesis, *animo* valde *sensibilibus* & proximius in *apoplecticos* & *suffocativos* affectus pronis, in quibus ob vehementer *angentes* & *indolentes* qualitates facile hi affectus cum *funesto* eventu invadunt: quemadmodum *obesi* homines alias *communiter* in *tales* & simi-

ſimilis qualitatis alios *morboſos* affectus inclinant: neque hoc loco peculiarem *attentionem* meretur *diſtinctio relationis* ad *capacitatem* ſubeundi *fatales* tales affectus, inter obeſitatem a *nativitate* & *adventitie* præſentem, quoniam *omnes* obeſi variis *periculoſis* pathematibus obnoxii ſunt: cujus moniti *Zacchias* etiam *l.c.* mentionem facit. Deinde quoad homines *breviori* & *craſſiori collo*, von dicken, kurtz, und unterſetzten Halß, aut *thorace arctiori*, compreſſiori & breviori aut *depreſſo ſterno* præditos, circumſpectio tenenda eſt, ne *promiſcue*, aut *facile* illis tortura adjudicetur & adhibeatur: etenim tales homines in *ſuffocationem*, *anginam*, *Hæmoptyſin*, *inflammationes* pectoris, nec non in *catarrhum ſuffocativum*, *phthiſin*, alios *ſubitaneos* & valde *periculoſos* colli & pectoris morbos inclinant; proinde etiam ob preſſionem ſanguinis *intra caput*, ob difficilem & variis *impedimentis* obnoxium *refluxum* ſanguinis a *capite* intra *cor*, in graves *capitis* affectus propendent, velut in *Hemiplexiam*, *apoplexiam*, *vertiginem* variæ *intricatæ* qualitatis: præterea talia ſubjecta *ſemper* ſunt *aſthmatica*; quam ob rem tormenta magnum *angorem* & *dolorem* cauſantia, nec non *perturbatum* motum ſanguinis poſt ſe trahentia, qualia præcipue *ſecundi* & *tertii* gradus ſunt, ipſis *haud* ſunt adplicanda: quid quod in *nonnullis* ſubjectis ex *individualibus* rationibus & reſpectibus judicio *Medici* opus eſt, quando *ipſis* aut *verbalis*, aut *realis territio* adhiberi & admitti debet, quoniam in iisdem magnæ *commotiones animi* & conjunctæ *perverſæ* alterationes *corporis* æque facile *repentinos* & *funeſtos* affectus cauſari poſſunt, quorſum præcipue contribuit, ſi iisdem *Tortura indicatur*: *conf.* de reliquo de hac circum-

ſtan-

ſtantia *Zacchias l.c.* & *Fortunatus Fidelis l.c. cap.5.p.235.* & quando nonnunquam quibusdam *ita conſtitutis* ſubjectis *tortura* admittitur, attamen *ſigna* quædam recenſentur, quæ in iisdem obſervanda ſunt, ex quibus judicare licet, an ob ſui *corporis* rationem *periculum* aliquod immineat, ut eapropter tortura *ſuſpendi* debeat; nihilominus *ſemper dubium* ſubeſt, an non tale quid evenire queat & ſi evenit, totus *torturæ* proceſſus aut *anceps* & evanidus, aut plane *fruſtraneus* & inutilis, aut *ſuo ſcopo* privatus ſit, hinc *in hac* etiam *circumſtantia* prudentia opus eſt.

§. XI.

A Tortura immunes ſunt Fæminæ, *quamdiu Menſium* fluxu laborant, (*conf. Zacchias lib.6.tit.2.qv.4. Ammanni Medic. Critic. Caſ. 19. diſc. 19. n.3. p. 159.*) qui vero quando deſinit, iterum illas, ſi *non alia* obſtat circumſtantia, tormentis ſubjicit: quemadmodum enim huic Menſium negotio *animi* afflictiones & *patheticæ* commotiones, velut *angor*, *mœror*, *terror* &c. valde *infenſæ* ſunt, tales vero motus *animi* cum comminatione & adjudicatione Torturæ in fæminis *perpetuo* cohærent, ita non modo *ante* Torturam, quando hanc *anxie* & extreme *abhorrent*, ſed & *ſub* eadem, graves *alterationes* illius fluxus *certius* imminent, dum in quibusdam pro ratione ſubjecti *ſubitanea* & valde *pernicioſa* ejusdem *imminutio*, nec non *ſuppreſſio*, ſequitur; Unde eximia *ſanitatis offenſio* oritur, quæ *in ſenſibilibus*, *plethoricis* & de *calido* temperamento participantibus fæminis quandoque in *repentinos funeſtos* eventus & effectus tranſit; qualia multa exempla ab obſervatoribus allegantur, quando videlicet a *terrore* magno, aut *mœrore* profundo, Menſes *ſubito ſuppreſſi* fuerant, velut ſunt affectus

fectus *syncoptico-cardialgico-suffocativi*, *convulsivi*, *apoplectici*, *hemiplectici*, *inflammationes* summopere periculosæ, *spasmi fixi*, *contracturæ*, *colicæ convulsivæ*, pathemata *hysterica convulsiva* lethalia, febres *valde acutæ*, *phrenitides*, *maniæ* & similis qualitatis aliæ *intricatæ* & interdum plane *incurabiles* morbosæ afflictiones: in aliis facile superveniunt *chronici* morbi & tanto magis *corrupti*, *complicati*, *refractarii*, quo *majoris* momenti & efficaciæ causa est, quæ Menstruum fluxum *turbavit*; quales morbi citius & facilius in *deteriorem*, quam meliorem convertuntur statum: imo *dolor*, *cruciatus*, *suspiria*, *clamores*, *angoresque* cum tormentis conjuncta facile Menses retinent & pertinaces *congestiones* in *hypochondria*, ad *splenem*, *ventriculum*, intra *pectus* & *caput* convocant, unde affectus *hypochondriaci*, *splenetici*, *melancholici*, cardialgici, ad *vomitum* cruentum aliasque *vicarias* & ex *insolitis* locis *eluctantes* Hæmorrhagias spectantes æque refractarias & *ægerrime* curabiles, originem trahunt: nec non vel *major* torturæ gradus, vel *fortis* dolor *gravissimas* commotiones sanguinis invitat, ut propterea *stupenda* & ferme *lethalia* profluvia sanguinis *uterina* in fæminis *plethoricis calidique* temperamenti metuenda veniant; vel evenit etiam, ut ob *impetuosam* talem commotionem *amplior* vasorum sanguiferorum in *utero* eruptio oriatur, cum qua deinde diuturnæ & velut constantes & *incoercibiles cruentationes*, aut suspectæ *corruptiones uteri* aliquando conjunguntur: quare pro *sanitate* fæminarum observanda tutius est, si dictata tortura fæminis *aliquot* diebus *post* cessationem Menstrui fluxus *indicetur* & applicetur: Ita etiam cum *altera* specie Hæmorrhagiæ, videlicet *Hæmorrhoidibus* procedendum est: loquimur vero

non

non de illis, quæ multas *morboſas* afflictiones & *anomalias* complectuntur, ſed quæ in *regulari* qualitate conſtitutæ, *ſanitatis medicina* in talibus ſubjectis, tanto magis ſi exquiſite *ſalutiferæ* & *periodicæ* in iisdem exiſtunt. Cum enim *tales* Hæmorrhoides *valde* mobiles, *mutabiles* & in *ataxias* pronæ exiſtant, ſubinde etiam *levioribus* cauſis & alterationibus *obtemperent*, tanto magis vero *patheticis* animi commotionibus preſſo pede & *celeri* progreſſu auſcultent, ita eo *certius* & *periculoſius damnum* iisdem ſubjectis imminet, quando vel *prima* vice *fluentibus* Hæmorrhoidibus, vel *proxime* accedentibus & imminentibus, vel de reliquo ſub *quolibet fluxu* & ſucceſſu illarum, *Tortura*, in *quocunque* fuerit gradu, ſive *verbalis*, ſive *realis* indicatur & adminiſtratur, quoniam conjuncta eximia *mentis* afflictio, nec non *dolor* corporis, magna *alteratio* motus ſanguinis, vehemens offenſio *motus hæmorrhoidalis*, aut præcocia & ardua *morboſa* ſpecimina, aut conſequentes *chronicos* pertinaces affectus cauſantur, quos longa ſerie haud enarrabimus, quoniam paſſim in Hæmorrhoidum *ſuppreſſarum*, *anomalicarum* & alia *perverſa* qualitate præditarum explicatione allegatæ proſtant: illud vero hoc loco ſciendum, quod *motus hæmorrhoidales*, *hac* cauſa turbati, *peſſimæ* qualitatis exiſtant, dum ſimul *efficaciſſimum* influxum *moralem* æq; ac *phyſicum* in ſubjecta habent: eam ob cauſam Torturæ *actualis* ſignificatio & adplicatio *tamdiu* differenda eſt, donec *periodus hæmorrhoidalis* tranſiit: & hæ modo traditæ annotationes & circumſtantiæ tanto magis in *Fœminis* obſervandæ ſunt, quæ vel *ſimul Menſium* & *Hæmorrhoidum* fluxu, vel *alternative* illis laborant; quippe *quæ citius* & *facilius* multis periculis ſubjici ſolent, id quod multis locis *D. D. Præſes in tract. de Hæmorrhoidibus* demonſtravit.

G §.XII.

§. XII.

Nunc in ordine ratio habenda *Valetudinariorum*, sive ex *morbosa* afflictione *infirmorum*, quos ipsi etiam JCti sub certa *limitatione* a tortura *exemptos* esse judicant: unde *Tabor l. c. §. 29.* dicit: *Valetudinariis excusationem Dd. indulgent, qui tali scilicet morbo laborant, qui torturæ vim non fert: conf. Carpzov. qv. 118. n. 46. Brunnemann. l. c. n. 27. Matthias de Crim. n. 10.* Zacchias *l. c. n. 7-14. præc. n. 15.* ubi ait: *Sed neque valetudinarii & debiles funis tormento apti sunt: cum utrique præ imbecillitate facile possint deficere: facile item est eos novis ægritudinibus ex ea violentia prehendi, non sine manifesto vitæ dispendio: sed quinam ad hunc effectum debeant dici debiles & qui valetudinarii non ita in promptu est: signa equidem ex quibus valetudinarii deprehendi possunt, jam percurri Lib. 3. tit. 2. quæst. ult. n. 7. Sed in hac ipsa re judicis arbitrium requiri non est dubium, quod requisita Medicorum sententia ferre debet. Clasenii in art. 59.* verba sunt: *& hoc extenditur ad alios valetudinarios & infirmos, qui vel omnino non sunt torquendi, vel ita leniter, ut nullum inde vitæ aut corporis sentiant periculum: Beyeri delineat. Jur. Crimin. art. 59. n. VI. Fort. Fidelis l. c. cap. 6. 7. 8. 9. Löw. l. c. §. 319.* quo loco *JCti* & *Medici* rationem habent morborum *curabilium* & *incurabilium* & in eo consentiunt, quod subjecta *durante* morbo tormentis affligi non debeant, ne afflicto detur afflictio, neve præsenti morbo inde majus *accrementum* & *periculum* accidat: quare tam diu expectandum est, donec morbus superatus fuit & necessariæ *vires* rediere; quare *Blumblacher l. c. n. 14. p. 129. Carpzovio* contradicit: qui posterior judicat, quod valetudinarius territione affici queat: ille vero dicit: es seynd aber

die Jura in solchen Fall zugegen, als welche wollen und verordnen *ut torquendus salvus maneat, vel innocentiæ, vel supplicio. Ludovici* **in der Einleitung zum Peinl. Proceß** *c. 9. §. 47.* dicit: Wann der Inquisit mit Leibes-Schwachheit beladen, oder verwundet ist, muß die Peinliche Frage bis zu erfolgender Wiedergenesung, wann dazu Hoffnung vorhanden, verschoben werden, *conf. Frölichsburg l. c. n. 6. p. 202.* ubi scribit: *Blumblacher art. 46. n. 14.* lehret, daß so lang einer kranck liegt, so lang soll er nicht torquiret werden: jedoch ist dißfalls das Judicium Medicorum nicht zu verachten, sondern bey allzu lang anhaltenden Kranckheiten, das Gutachten von Schwehr- und Gefährlichkeit der Kranckheit einzuholen: *Vario* itaque modo & ob diversas rationes *Medicorum* judicia sunt requirenda, *primo* ut inquirant & decidant, an morbus sit *verus* & non simulatus, *deinde* in quo *gradu* consistat, porro an sit *curabilis*, præterea si *curatus est*, an subjecta *sufficientibus* instructa sint *viribus*, ne periculosa *Recidiva* metuenda sit & denique si morbus plenarie curari *haud* potest, an subjecta *mitiorem* & *qualem* torturæ gradum, sine eximio *vitæ damno* sustinere possint: etenim in *talibus* valetudinariis hominibus, qui *perfecte* curari nequeunt, *Carpzovius l. c. n. 47. comparatam* torturam admittit, cum quo *Ludovici* consentit, quando sentit *l. c.* ist aber keine Hoffnung (videl. seiner Wiedergenesung) muß man die peinliche Frage dergestalt mäßigen, damit der Gefangene dadurch an seinen Leben keinen Schaden leide: *conf.* **Anmerckungen** *in Cap. X. Brunnemann.* **Anleit zur vorsichtigen Anstellung des** *Inquisit. Process. §. 2. p. 352.* Consultum itaque est, ut etiam in *tali casu* & necessitate monente & adhortante *Harprecht Respons. 28. n. 25. 26. Medicorum* consilia & judicia pro regula seligantur & observentur:

tur: Ejusmodi *infirmitati* & *morbosæ* constitutioni annumeranda est *propensio singularis* nonnullarum personarum in *animi deliquia* sive *Lipothymias*, quæ quibusdam admodum *familiaria* sunt, ut ob *morales* & *physicas* causas in eadem *facile* delabantur: talia subjecta & *animo* valde *sensibilia* sunt, quorum supra *§§. 3. & 4.* mentio facta fuit, quæ subinde quoad *corporis* statum utplurimum *imbecilla* & *valetudinaria* existunt: quæ *Lipothymiæ* dum *animo* & *corpori* magnam *alterationem* conciliant, semper ad *deteriorem* statum disponunt: ut *perennis* metus subsit, quo talia subjecta, aut torturæ *comminatione*, aut actuali *applicatione* afflicta, facilius in *gravius* sanitatis *damnum* incidant: hinc circumspectione & judicio *Medici* opus est, etiamsi quædam subjecta quoad *externum* corporis habitum *sana* videantur: præcipue *cautela* observanda est in hominibus valde *plethoricis*, in vehementes & *ominosas sanguinis* commotiones, nec non *salutarium* & *necessariarum* evacuationum *turbas* pronis, in quibus *Lipothymiæ*, ex causis *fortius animum* affligentibus natæ, *periculosiores* effectus habere solent: & si quæ circumstantiæ occurrant, vel *mitioris* lipothymiæ gradus, vel paulo *firmioris* roboris corporis, vel reliquæ mediocris *sanitatis* &c. tunc semper *lenior* etiam torturæ gradus admitti, insuperque *circumspectio* illa observari debet, ne sub tortura *gravior* ingruat Lipothymiæ *gradus*, qui in certis subjectis in *syncopticos*, *suffocativos*, *apoplecticos* aliosque, si non *confestim* funestos, tamen *periculosos* & valde *intricatos* affectus degenerare potest, ut propterea *periti* medici & *æqui* judices, semper *sinistros* tales effectus, sub quibus *finis* torturæ *annihilatur*, ante oculos quasi positos habere & annotare debeant.

§. XIII.

§. XIII.

Quando vero jam seorsim *certos morbosos* affectus consideramus, qui peculiarem *conciliationem* cum *Torturæ* administratione merentur, tunc mox sub animadversionem vocamus Morbos *Convulsivos: Gravitas* talium affectuum *JCtos* permovit, quo subjecta, cum iisdem afflicta, certa cum limitatione a *Tortura immunia* declarent: Sicut itaque *diversi* sunt horum morborum *gradus*, ita *diversa* formanda sunt *judicia:* dantur enim affectus convulsivi, *rationem* valde *infatuantes* & *corpus* nimium *enervantes;* dantur etiam, qui in *lethales* exitus propendent, dantur qui *caput* & *pectus* nimium affligunt, adeoque *apoplecticos*, fatales *syncopticos* & *suffocativos* affectus inferunt & minantur; in quali casu *ne quidem territio* locum invenit, ne occasione *torturæ*, quæ medium *eruendi veritatem* esse debet, *vitæ periculum*, adeoque velut *pœna* infligatur: non quidem hoc loco *de illis* nobis sermo est hominibus, qui tales morbos *simulant*, ad quos præcipue advertit *Wildvogel l. c. §. 7. p. 42.* in quali casu absolute *Medicorum* cognitio conferenda est, quoniam hominum *malitia* adeo versuta est, ut facile quoad plurimas circumstantias talem morbum *fingere* queant *conf. D. D. Præsidis Jurispr. Med. Tom. I. Part. I. c. 12. §. 6. lit. g. & cap. 10. §. 8. lit. a.* ubi multi casus & authores allegantur, qui simulatæ Epilepsiæ mentionem fecerunt: *conf.* Breßlauiſ. Geſch. 29. Verſ. *p. 222.* neque etiam hac occasione *Lunaticæ Epilepsiæ* mentionem injicimus, quæ perinde ita qualificata est, ut facile ab illa, forti commotione *animi* & magno *dolore* corporis excitata, *gravissima* damna oriri queant: si itaque in rebus *dubiis* JCti *mitiorem* seligunt sententiam, ita in hac observatione, quæ *non du-*

bia & fallax est, rectius tortura *omittitur*, quam admittitur; unde etiam *illa* præcautio haud multum *valoris* continet, (quam profert *Brunnemann* in der Anleitung zu vorsichtiger Anstellung des *Inquisitions-Processes cap. X. §.6.*) quod *talibus* epilepticis *lunaticis* tortura non tempore eminentium *mutationum lunæ* adhibenda sit, quoniam talis epilepsia *omni* tempore, gravi *terrore* & *angore*, in quem ejusmodi subjecta admodum prona sunt, aut magna *corporis* afflictione, *excitari* potest: hinc talia etiam subjecta *apta* ad torturam habenda *haud* sunt, in quibus magis *malus* successus metuendus, quam bonus sperandus: siquidem alias tam *fonticus* actus, qualis *tortura* existit, haud frivole suscipi debet: subjectis itaque *vera* Epilepsia laborantibus, *ultra territionem verbalem* haud tortura competit, quoniam motus convulsivi illam *communem* indolem servant, ut *levem* causam *irritantem* sequantur: quare *communis* medicorum consultatio in *præservatione* motuum talium est, ut subjecta in accurata *animi tranquillitate* conserventur, proinde omnes *sensibiles* afflictiones a corpore avertantur &c. quæ circumstantiæ cum torturæ indicatione & administratione plane non congruunt: & licet *Carpzov. l. c. n.50. Hertius Respons. 84. Besoldus Cons. 200. Harprecht Cons. 28. Ludovici in art. 59. C. C. C.* (cujus verba sunt: *de Epilepticis difficilior est quæstio: Sed tamen & hoc firmum manet, torturam ipsis in totum non esse remittendam propter utilitatem, quæ ex detectione criminis in rempublicam redundat:* nos vero interloquimur, quodsi in tali casu omnis apparatus & usus torturæ, ut *facile* fieri potest, *frustra* succedat, ubi illa expectata utilitas? *interim hic ante omnia consulendi sunt medici, eo-*

rum-

rumque judicium ſequendum & juxta hoc dijudicandum, an & quibus tormentis ejusmodi homines ſint ſubjiciendi) addimus *Beyeri* commentationem in *h. art. n. VII. quodſi torquendus epilepſia laboret, tortura moderatius inſtituenda, & impr. ſuperveniente malo epileptico finiendæ;* nec non *Kreſſii* verba in eundem *articulum: De Epilepſia difficilior inſpectio eſſe dicitur: ultra primum gradum contra epilepticos vix proceditur: ſic & a noſtro ordine juridico tantum pollicum compreſſionem hoc caſu admiſſam fuiſſe memini: interim malo Epilepſiæ superveniente in tortura, illa remittenda;* (Sed quæ inde utilitas) *& ſi non ſatis peracta, differenda eſt:* Si itaque *una* aut *altera* vice quidam homines *convulſivis* motibus ſubjecti fuere, tunc *verbalis* & *realis* tortura eosdem non modo *ulterius* invitare, ſed & *tanto magis exacerbare* & *confirmare poteſt:* quod vero etiam *ſoleat*, id probamus ex illa *communi* obſervatione, quod convulſionibus *excitandis*, *accelerandis* & *confirmandis* nihil *magis* ſatisfaciat & contribuat, quam aut *ſubitaneus* aut *eximius* affectus animi *patheticus*, aut *ſenſibilis dolor*, corpus *ſemel morboſum magis* affligens, *utrumque* in Torturæ *univerſo* proceſſu contingit; quoniam itaque illis *præcautionibus*, a *JCtis* prolatis, ſufficiens *experientia* deficit, videlicet quod *unquam* vere *epileptici* torturæ aut *primum*, aut *ſecundum* gradum cum *deſiderato* ſucceſſu & effectu ſuſtinuerint, & tantum quædam *conſilia* ſurrogantur, quæ tota ſua indole *ambigua* & *fallacia* ſunt, hinc *medicorum* judicia & noſtra etiam momenta *majoris* ponderis ſunt: neque in hac præcautione *pro avertenda* ullum valorem habet, *illa* nonnullorum JCtorum conſultatio, quaſi medici ad *præcavendam* Convulſionem apta *remedia*

media exhibere adeoque ſubjectum ad *Torturam* ſubeundam præparare queant, (*conf. Brunnemann.* Anleitung zum *Inquiſ. Proceſſ. X. n. 6. p. 36.* cujus verba: Hernach iſt nöthig, daß dem Inquiſiten vor der Peinigung ein præſervativ von einem verſtändigen Medico eingegeben, und dergeſtalt nach Möglichkeit dieſes Ubel zurück gehalten werde. *Stryck. in not. ad Lauterb. tit. de quæſt. voc. Epilepſia. Harprecht Vol. 2. Conſult. 87. n. 19.*) quia in *nullius* medici capacitate eſt, *tali* modo citra *præjudicium* ſanitatis convulſiones *præſervare*, quid quod res præſtitu *difficillima* eſt, ſub optima & *exquiſitiſſima animi* & *corporis* moderatione convulſiones videlicet *idiopathicas*, *habituales* & frequentius *repetitas* (nam quæ cum *alio* ſontico morbo complicatæ ſunt, *eo minus ullum* torturæ gradum admittunt) præſervare poſſe: dum vero in perſonis de *crimine* & delicto commiſſo ſuſpectis, multi *animi* motus & quidem *fortes* & *conſtantes* ſuccedunt, ſive fuerint *metus* & *angores* de ſubeunda pœna, ſive curæ, *ærumnæ* & *indignationes* de *innocentiæ* ſtatu, procedunt, ita vel hæc *unica* conſideratio *omnem efficacem* uſum *præſervantium* talium remediorum, ſubinde etiam, excepta *leni territione verbali*, reliquum *actualem* Torturæ uſum reclamant: unde quoad haſce meditationes *prudentis Medici* arbitrio *plus*, quam judicis uſu opus eſt: *neque* quidem *Medici præſentia*, quando *tali* affectui obnoxiis tortura adhibetur, *ſingularem* opem promittit! etenim quando nunc ejusmodi affectus ſub tortura *imminet*, tunc *medicus* quidem hoc indicare, ſed *haud præcavere* poteſt, ut vel *deſiſtat*, vel ſua invaſione in caſu *præſenti*, cujus cauſa *magnæ efficaciæ* eſt, damnum eximium *ſanitati* ſubjecti non infe-

rat:

rat: etenim quando remedia *in illo puncto temporis* propinantur, quæ convulſiones arcere & *præcavere* debent, ſi illæ jam accelerant ac *imminent*, tunc ut plurimum *proximus* paroxyſmus *atrocior*, fortior & *periculoſior* evadit: Si itaque ex obſervationibus medicis *certum* & *confirmatum* eſt, quod *mitiores* convulſiones *gravioribus animi* & *corporis* offenſionibus *accelerentur* & *exacerbentur*, ſi *conſilia JCtorum* in hac cauſa & hoc caſu *dubia*, nec ullo caſu *exoptati* ſucceſſus confirmata, ſed tantum *pragmatica*, aut etiam in *ſuppoſitione* conſtituta, *haud* vero *practica* ſunt, ſi *Medici id* præſtare *haud* poſſunt, quod *JCti velut fundamenti* loco in hoc caſu ponunt; ſi ſecundum ipſorum *JCtorum præcautionem* & *metum* uſus torturæ in talibus ſubjectis *ambiguus* eſt, tunc *facile* concludere licebit, quid a Tortura in *talibus* perſonis expectandum veniat: & ita *Zacchias l. c. n. 8. Epilepticos* homines a tortura eximit *Fort. Fidelis l. c. cap. 7.* eosdem a *majori* tormentorum gradu *immunes* declarat; de reliquo ex hactenus annotatis & prolatis circumſtantiis, relationibus & rationibus facile liquet, quod *mitior* etiam torturæ gradus in *epilepticis* ſubjectis, paulo *robuſtioribus*, nihilominus valde & plus *dubium* atque *anceps* ad eruendam veritatem maneat medium, quam ut ſecundum *omnem* præcautionem *certus* quidam ſucceſſus prædicendus & expectandus veniat: plures huc allegandæ rationes *medicæ* ex *prædictis* fluunt, & illis facile *perſpicuæ* erunt, qui rite & perite intelligunt, quid *motuum vitia* in hominibus efficiant, quæ non modo *pertinacius* & impetuoſius *continuant*, ſed conſtantius *medica* auxilia eludunt & reſpuunt.

§. XIV.

Progredimur nunc ad *alios morbos*, qui in nonnullis individuis Torturam aut *absolute*, aut *comparate* respuunt: inter illos mox *Febrium* reminiscimur, quæ suo paroxysmo *præsentes*, *omnem* torturæ gradum haud admittunt, ubi *nulla* Febrium species exempta est, siquidem *metus*, *angor* & *perturbatio mentis*, nec non gravis *dolor*, *læsio* & *extensio* corporis *legitimo* decursui Febris & *sanitatis* promotioni plane *contrariantur*, quales afflictiones tormentorum speciebus *essentiales* esse solent: neque etiam quisquam vel *Medicorum* vel *JCtorum* ita crudelis erit, ut tam *sontico* morbo afflicto, torturam adjudicet: *conf. Zacchias l.c. n.7. Fort. Fidelis l.c. cap.9.* quo loco producimus verba *Frölichii l.c. n.6. p.202.* Einige lehren, daß ein Febricitant am Erstern Tag torquiret werden könne: andere aber wollen, daß man das Judicium Medicum beobachten solle: & ita etiam est! etenim sine *Medici* judicio ne quidem de illa quæstione cogitare licet, *an Febricitantes torqueri* queant? id interim decidendum venit, an febre *chronica*, aut *intermittente* laborantes torturæ congruum subjectum constituant? quidam existimant, quod in intermittentium *libero* aut *intercalari* die subjecta torqueri queant; nos iterum *negativam* sententiam defendimus: quoniam hæ Febres ullo modo *turbatæ*, aut *contumaces*, aut plane *periculosæ* evadunt: etenim sub *illis* Febribus *omnia* subjecta, relative *enervata* existunt, *tortura* vero hanc debilitatem *auget*, ergo *sanitati* & processui *febris* valde est *infensa*: Febris talis *legitimum*, *temperatum* & *regularem* decursum requirit, si ad *sanitatem* pertendere debet: *Tortura* motum & *typum* febrilem valde *pervertit*, offendit & *con-*

fun-

fundit, ergo febris decursum reddit præjudiciosum & *perniciosum*: Febris hæc liberam *fibrarum motricium* actionem requirit: tortura has *fibras lædit*, *extendit* & *enervat*, unde Febrem ipsam *turbat* ac *nocivam* eidem qualitatem affundit: Febris hæc *adæquatum* suæ causæ postulat motum sanguinis, Tortura vicissim valde *motum* hunc *exacerbat* & *perturbat*, unde decursum & *eventum* febris *funestum* facilius reddit; quare recte judicat *Zacchias*, quod in aptis subjectis *tortura intermittentes* in periculosas *continuas* conjiciat febres: & quoniam tales *intermittentes* febres facile *perversas* qualitates assumunt, *hasce* vero *tortura*, respectu *animi* & *corporis* facile provocare potest, ita *consultius* est, ut torturæ comminatio & applicatio *differatur*, donec febris talis *cessavit*; servata illa *cautela*, ne *confestim post* illius abolitionem & cessationem tortura suscipiatur; quæ quia *animum* & *corpus* valde afficit & offendit, *motum* febrilem facile iterum excitare, *recidivam* periculosam causari, aut ob *gravem* hanc alterationem *periculosos* & *corruptos* affectus consequentes allicere potest: dicimus in hoc casu, quod tale quicquam efficere *possit*, quoniam aliæ causæ similiter *animum* & *corpus* valde afficientes, tale quicquam *actu* causari *solent*: neque etiam juxta *regulas artis medicæ* consultum est, ut *brevi post* superatam Febrem quandam *Continuam* Tortura admittatur, quo tempore *vires* adhuc sunt *debiles*, *viscera* sufficienti robore *destituta*, *humores* nondum plenarie defæcati, aut a *residuis* impuritatibus liberati, reliquæ etiam functiones *se-* & *excretoriæ* nondum in *justum ordinem* restitutæ, unde *aliæ* causæ, *mitius*, quam ex *tortura* metuendæ, efficaces, *animum* & *corpus* alterantes, vel *præcipites* & valde

periculoſas Recidivas, vel alios *corruptos* morbos accerſunt: eam ob cauſam pro diverſitate *gravitatis* Febris modo *major*, modo magis *reſtricta* & limitata *mora* obſervanda eſt, donec *Tortura* in ſubjectis præſentis quæſtionis admittatur: Hisce obſervationibus adhuc hanc annumeramus, an homines diuturna *Hectica* Febre laborantes Torturæ ſubmitti ſecure queant? loquimur vero de *talibus* hecticis, qui aliquando *magis* vegeto & *vivaci ſanitatis* gradu inſtructi eſſe videntur, quibus ſecundum *externum* conſpectum *lenior* torturæ gradus concedi *poſſet*: attamen *in genere* de *hecticis* ſciendum, quod ſecundum *communium* & *ordinariarum* cauſarum influentiam illi *repentinis* mutationibus non in *melius*, ſed in *deterius* ſubjecti ſint: id quod *tanto magis* de illis circumſtantiis valet, quæ ex *Torturæ* annunciatione & adminiſtratione *animo* & *corpori* ſupervenire ſolent: nam *Medici* non ſemper *ſpecialiſſimas* qualitates *cauſæ*, Hecticam provocantis, ſignificare poſſunt, ſiquidem aliquando illa ita comparata eſſe ſolet, ut *repentina* quadam ſuperveniente commotione, *ſubito funeſtum* exitum invitare queat ſoleatque, velut ſunt *vomicæ pulmonum* ſubito *perrumpentes*, *occluſi* viſcerum *abſceſſus* repente *eructantes* & aliquando ſimul *majorum vaſorum* ſanguiferorum *eroſionem* & lethalem ſanguinis *extravaſationem* inferentes; quales alterationes *ſub tortura* facile provocari poſſunt, ita ut ſub eadem *repente* hecticum ſubjectum, quod antea in *tolerabiliori* gradu conſtitutum fuerat, *vita* plane privetur: eam ob cauſam *vere hecticis* Tortura adjudicari haud poteſt, *niſi hæc in ſola verbali territione conſiſtat*; ubi tamen in *quolibet tali caſu* periti *Medici* judicium requirendum, quo cognoſcendum eſt, an

an morbus *vera* ſit *Hectica*, in *quo gradu* hæc ſit conſtituta, qualis ſit *conſtitutio* ſubjecti, tam ratione *animi* & *morum*, quam reliqui *corporis*, ſiquidem *ex ejusmodi* & adhuc *aliis* titulis, articulis & momentis rationes ſatis *fundatæ*, eminentes & evidentes profluere poſſunt & ſolent, quo *minus* talibus ſubjectis, aut *minor* aut *major* Torturæ gradus admitti queat; ob id in *primis* hecticæ febris *acceſſibus* territio *verbalis* & *realis* locum quidem invenit, haud vero in *majoribus* hujus morbi accrementis illa ſecura eſt, ſiquidem alias aut *in hecticam inclinantes*, aut *actualiter* illa correpti homines *animo* & *corpore* valde *ſenſibiles* & *præcipitibus* alterationibus obnoxii exiſtunt, ob quam rationem eo major *prudentia* adhibenda eſt, quando *quæſtio* proponitur, an Hecticis ſecure Tortura decerni & adhiberi queat?

§. XV.

Ad *alios* nunc accedimus *Morbos* & in compendio de iisdem judicabimus & indicabimus, *an citra* vitæ eminens dispendium *Torturam* tolerent? In hac disquiſitione vero *triplex* conſideratio occurrit, videlicet de morborum *præſentium vehementi* gradu & ſtatu, ſub quo tormenta *nulla* adhiberi poſſunt, quia ipſa morbi *gravitas*, torturæ *vices* gerit, ut illi homines, qui in *mortis* portis & *ſummo* periculo conſtituti ſunt, aut delictum *confiteantur*, aut *damno* animæ & jactura ſalutis reticeant: deinde quæſtio occurrit, an homines morbis *incurabilibus* & per intervalla *intermittentibus* ac *miteſcentibus* detenti, torqueri queant? & denique an in quibusdam tortura *tam diu differri* poſſit & debeat, donec ſubjectum *priſtinam* ſanitatem recuperaverit: ubi nec de *ultima* hac qvæſtione *dubitatio*

occurrit, ni singulares *novæ* & *aliæ* interveniant circumstantiæ; *media* animadversio ex sequenti deductione erit decidenda: Si itaque homines *proxima* proclivitate in *apoplexiam*, morbos *suffocativos*, *hæmorrhagias* excedentes & *convulsiones*, aut similes alios *inclinant*, tunc tortura ipsis *actu* applicari haud potest, ni sub *certis* circumstantiis *territio verbalis* in talibus personis locum inveniat: Si quidam homines unquam vel *minori*, vel *majori apoplexia*, *paralysi (paralysi* tacta membra a tormento excludit *Fidelis l.c. c.9.p.243.) syncope*, &c. correpti fuere, nunc vero perpessi hujus affectus varia sontica *residua* adhuc signa continent, *realis* tortura in iisdem *locum non* occupat: Si homines *vertigine* suspecta & caduca, *polypo cordis*, magna *struma*, *asthmate* valde *angente*, aut plane *spastico (vid. Zittmanni Medic. Critic. p.354. seq. Cent.1. cas.2.) phthisi*, eximia *propensione* in *Hæmoptysin*, *Vomica pulmonum*, *spasmo diaphragmatis*, *obstructo hepate*, *scirrho lienis*, *colica convulsiva*, affectu *hypochondriaco*, *melancholico*, morbo *hysterico*, (quoniam hoc affecto, facile ob torturam in *convulsiones uterinas* concidunt *vid. Ammannus in Medic. Critic. p.158. discurs. 19. Cas. 19.) Hæmorrhagia uteri*, *Mensium gravioribus* vitiis, *nephriticis* pathematibus, diuturno & cum multis spasmis conjuncto *fluore albo*, *spasticis* motibus *vesicam urinariam* valde affligentibus, *scorbuto consummato*, *contractura* & *aridura* partium, morbis *obscuris*, attamen *intricatis*, *ulceratione* partium *nobiliorum* internarum, *dysenteria*, *diarrhœa chronica* & multum enervante, frequentioribus & valde *vires* exhaurientibus *Hæmorrhagiis*, *tussi suspecta* & refractaria, valde *difficili* respiratione, *strangulatoriis* spasticis motibus, subitaneis *congestio-*

ſtionibus caput infeſtantibus, periculoſis *eryſipelaceis* capitis offenſionibus, præc. *crebrioribus* & *animi pathemata* repente ſequentibus, præcipitibus *ſalutarium* excretionum *ſuppreſſionibus*, *ſpaſmis ventriculi*, *conſuetis cholericis* paſſionibus &c.&c. laborarunt, aut in *tales* morbos *facile* dilabuntur, tunc iisdem tortura *realis* haud congrua eſt, *territio* vero *verbalis* aliquibus quandoque, (ſi *aliæ* non obſtent circumſtantiæ, quarum plures in ſingulis prædictarum morboſarum afflictionum caſibus, etiam verbalem territionem *reſpuunt*, quales in *præcedentibus* commemoratæ ſunt) adhiberi poteſt, quo valet, quod conſentientibus plurimis Criminaliſtis *Blumblacher l. c. n.14.p. 129.* judicat: Dahero dann in der Chur-Bayeriſchen Malefiz-Proceſſ-Ordnung auch der mildere Sentenz erwehlet und ſimpliciter geordnet iſt, daß die Krancken, ſo lang ſie kranck ſeyn, nicht torquirt werden ſollen: rationem addunt *JCti* & *Medici*: illi plurimi inter quos *Franciſ. in tr. de torment. c. 10. n. 8.* & *Theodoricum in judicio criminali practico c. 9. aphor. X. lit. c. p. 1262.* nominamus; etenim omnibus *talibus* morbis magnus *angor* animi, *dolor* corporis, gravis *motus ſanguinis* alteratio, *fibrarum motricium* offenſio, læſio, tenſio, extenſio &c. valde *infenſa* ſunt, ut tales affectus certius *exacerbentur* & deteriorentur, vel ſi antea remiſerunt, *majori* gradu & acerbitate invitentur & in *pernicioſam Recidivam* conjiciantur: Si quidem ex *diverſis* horum memoratorum affectuum indole *repentinus funeſtus* eventus metuendus eſt, ſi torturam in iisdem adjudicatur: conſultius itaque hæc aut *omittitur*, aut *eo usque* differtur, donec *ſufficienter*, ſi fieri poſſit, a tali morbo ſubjecta *reſtituta* fuerint: quando vero tortura *valde* neceſſaria eſſe reputatur, tunc *Medici*

dici cognitio & judicium requiri debet, an quædam *ſubjecta*, an quidam horum *morborum*, & quidam horum gradus *territionem realem* & *leniorem* torturam admittant: *plurimi* vero prædictorum morborum ita ſunt comparati, ut *realem* torturam reſpuant: *conf. Zacchias l. c. n. 18. Fort. Fidelis l. c. cap. 6. 7. 9. Omnes* morbi, qui *præcipites* ſunt in graves *ſpaſmos*, aut plenas *convulſiones* torturam *realem* non admittunt, quid quod ob *terrorem*, *mærorem*, *angorem* & variam *perturbationem animi* facile a territione *verbali* offenduntur: hinc & *Judices* & *Medici* conſcientioſam circumſpectionem adhibere debent, ne ſua culpa in admittenda tortura effectus & eventus, a *Juſtitia* diſcedentes, alliciant.

§. XVI.

Proinde *alii* adhuc *morboſi* affectus ſub disquiſitionem veniunt & quidem *Hernioſi*, quorum etiam *JCti* ſeorſim mentionem faciunt, velut *Carpzovius l. c. n. 49.* ubi de *homine* loquitur, *qui rupturam circa genitalia habet*, *quem moderate*, *ne ruptura incrementum accipiat torqueri poſſe cum Stephani in art. 59. C. C.* judicat, horum *hernioſorum* mentionem etiam facit *Tabor l. c. n. 29.* circa finem. *Brunnemann.* Anmerckungen über die Anleit. des *Inquiſit. Proceſſ. p. 356. ad §. 6.* huc pertinet judicium *Blumblacheri in art. 59. C. C.* es ſcheinet aus den Text, daß nicht ein jeder Schaden oder Wunden des Leibes von der Tortur excuſire, ſondern daß in ſolchen Fall, wo der Gefangene mit einen Schaden oder Wunden behafft, dergeſtalt zu torquiren, daß es ihm am wenigſten Schaden bringe, und in ſolchen Fall iſt gemeiniglich der Daumenſtock am wenigſten ſchädlich oder gefährlich. *Ludovici* in der Anleit. zum Peinl. Proceß *cap. IX. §. 47. p. 95.*

dicit:

dicit: Diejenigen so einen Bruch haben, kan man nichts destoweniger mit denen Daumstöcken, Schnüren, Spanischen Stiefeln, und so weiter, angreiffen, nur dieses eintzige ausgenommen, daß man sie nicht ausdehnet, oder auf die Leiter spannet, weil dadurch das Ubel würde vergrössert werden. *Manzii* verba sunt *in art. 59. in hoc articulo monet Imp. iterum judicem, ut si reus rupturam in corpore suo habeat, eum cum tali moderamine torqueat, ne quid damni accipiat, vel ruptura augeatur: conf. Ludovici in art. 59. C.C.* Inter *Medicos* Herniosorum mentionem injiciunt *Fidelis l. c. c. 7. P. Zacchias l. c. n. 8. Eyselius in disp. de morb. ob quos rei ad torturam fiunt inhabiles §. 10.* Hoc loco non modo de *una*, sed & de *omnibus herniæ* speciebus loquimur, in *quocunque Sexu* eveniant: *talibus* itaque afflictis personis tormenta acerbiora & *atrociora haud* conveniunt, minime omnium *extensio* in scalas; & quoniam reliqui *minores* torturæ gradus, velut *forcipum* & *fidicularum*, nec non *compedum* applicatio *magnos* dolores causatur, sub quibus eximii *angores*, *clamores* & totius corporis commotiones & *pressiones* concurrunt, ita peritus *Medicus* inquirere debet, an *status* subjecti & herniæ *tales* etiam torturæ gradus perferat: quamvis porro quidam herniosos cum *subligaculis* ad subeundam *torturam* præparare malint, velut *Fidelis* asseveravit, tamen recte judicat Zacchias, *dum hernia sive ruptura intestinalis & magna est, tutum non est, his remediis fidere:* etenim alias contingere solet, ut, quamvis Hernia in *quibusdam* subjectis, cum apto *subligaculo* munita fuerit, sub *durioribus* tamen corporis laboribus & motibus *gravioribus*, ut & *angoribus* animi nihilominus *vi* quadam valde perniciosa, hernia *exprimi* soleat: quale quid etiam *sub tortura*

 eve-

evenire poteſt; quare in hoc etiam caſu *Medici* judicio inhærere convenit: ſervanda tamen eſt *cautela*, quoad illos homines, qui *Herniam ſimulant*: conf. de *Hernia ſimulata*, *Riedlinus iter Med. p. 71.* Similiter *Hydropici* & *Cachectici*, præcipue *confirmatiores*, torturam ſine inſigni *damno haud* tolerant: ſi vero horum affectuum *minor* fuerit gradus, *lenior* etiam torturæ gradus in iisdem locum invenit: Quicunque homines *Luxationes* membrorum, non *congrue* reſtitutas gerunt, aut *Fracturas* oſſium, *recenter* curatas, continent, in illis artuum & reliqui corporis *extenſio* non quadrat, quemadmodum ab *atrociori* tormento *Fidelis l. c. cap. 8.* illos immunes prædicat, qui *aliquando effracta* habuere brachia: huc pertinent *Kreſſii in art. 59. C. C.* commentationes, ubi *membrorum fracturas* etiam allegat: Quo etiam certa interpretatione *JCtorum* ſententia referri meretur, quando de *Rupturis* mentionem faciunt: quid de *fractura oſſium* judicat Zacchias *vid. l. c. n. 12.* Qui *Vulnera* vel *præſentia*, vel *recenter* curata gerunt, illi per *artic. 59.* a *tortura liberi*, aut lenius torquendi declarantur: Vulnera itaque *levia* haud in *aliquam* veniunt conſiderationem, ſiquidem Imp. *periculoſa* & *majora* præc. vulnera in articulo intellecta eſſe vult: præſente *periculo vitæ* in *nullo* vulnere tortura locum invenit; ſi vero vulnus in ſtatu meliorationis & *curationis* conſiſtit, tunc cum tortura *præcipitandum haud* eſt, quia parva mora, nulla eſt mora; quare *tamdiu* expectandum erit, donec vulneratus *ſufficientes* ad torturam ſubeundam obtinuerit *vires*, ut eo certius *finis* hujus actus impetretur, de quibus *Brunnemann* Anleit. zum *Inquiſ. Proceſſ c. X. ſ. 6.* dicit: Der Richter habe zu erwegen, ob der *Inquiſit* ſchwehrlich verwunder, in

wel-

welchen Fall die Peinigung aufzuschieben. Quod si vero vulnus quoddam fuerit ita *incurabile*, ut illius *morbosus* status in *longiorem* temporis terminum extendatur, tunc sub *mitiori* ægri statu, si *labes* non fuerit in *capite*, aut *intimiori pectoris* regione, *lenior* aliquando torturæ gradus admitti potest. Si vero vulnera quædam quoad *externum* conspectum consolidata fuere, interim in *interioribus* corporis, aut in *capite*, aut *pectore*, aut *abdomine intricatæ* & valde præjudiciosæ afflictiones *morbosæ* consecutæ fuere, tunc iterum talia subjecta *reali* torturæ submitti haud possunt: ita *Riedlinus in Lin. Med. An. 2. Mens. Octobr. obs. 23. p. 511.* historiam profert, *de tortura a vulnere, olim abdomini inflicto, impedita:* Imprimis vero subjecta, quæ unquam *gravi* vulnere in *capite* læsa fuerant, torqueri haud promiscue debent; hæc enim communiter ex *levi* etiam causa *morali* & *physica* gravissimis *alterationibus* sunt obnoxia: quoniam itaque circa torturæ annunciationem, expectationem & actualem applicationem tales *animi* & corporis *valde præjudiciosi* motus contingunt, ita ejusmodi subjectis præter *verbalem* territionem, nulla *actualia* tormenta sine accurata & judiciosa *Medici* cognitione adhiberi debent; siquidem insuper hæc tormenta & *mentis integritati* & *vitæ* firmitati valde sunt infensa: quando etiam quædam subjecta in *brachiis*, aut *femoribus* & *pedibus*, aut etiam in *dorso valde* sauciata fuerant, tunc *illa* tormenti species, quæ corporis *extensionem* involvit, locum non invenit, quia fibræ *cicatrice* concretæ & *abbreviatæ*, nullam extensionem admittunt, ni *vitæ* & *sanitati* subjecto magna *vis* & calamitas in & adferatur, *vid. Fidelis l. c. cap. 8. p. 242.* in aliis vulneribus distincte *indolentibus*, tortura *realis* haud ad-

admitti poteſt, quoniam *accumulatio* dolorum facile ſuſpectos *ſpaſmos*, *convulſiones*, *inflammationes*, *febres* aliasque *periculoſas* conſecutiones cauſatur: & quando *Fidelis l. c. cap. 7.* ſubjectis ex *vulnere capitis levi* foramine conſpicuo adjudicat, quod *tormentum ſuſtinere innocue poſſint*, tunc in hac adſertione *paucos* e Medicis ſuo *conſenſu* adſtipulantes obtinebit; quoniam omnes periti Medici *capitis vulnera* utplurimum *periculoſiora* æſtimant, ni *externis* etiam certis ſignis illa *leniora* appareant: *quibus* qualitatibus *Fidelis vulnus haud* quadrat, quod de foramine *calvariam penetrante* tractat: quid de *Vulneratis* ſentiat Zacchias *vid. l. c. n. 8. 12.*

§. XVII.

Hactenus commemoratis Morbis adhuc *plures* in ordine annectimus, quorum *Medici* & *JCti* mentionem faciunt, inter illos nunc nominamus *Spaſmos*, qui *externum* corpus cruciant, velut ſunt *Arthritici*, *Iſchiadici* & *Podagrici* & ſimiles affectus: quando tales affectus *præſentes* ſunt, tunc neq; *verbalis*, neq; *realis* territio, multo minus *major* torturæ gradus admitti debet, quia *omnibus* Spaſmorum *ſpeciebus* in omnibus *ſubjectis animi* commotiones, velut terror, metus, angor, indignatio &c. nec non *craſſe* excitati *vehementes dolores* valde præjudicioſi & infenſi eſſe ſolent, ut vel magis *confirmentur* & *pertinaces* reddantur, vel in *convulſivum* ſchema conjiciantur, vel in alios *periculoſos* morbos convertantur; aut plane *acerbitas* dolorum, ſub tortura occurrentium, efficit, ut *præſentes* Spaſmi, inde confuſi & *exorbitantes* reddantur, in *interiora* & *nobiliora* viſcera progrediantur, adeoque *pernicioſam* metamorphoſin patiantur: imo *periculoſum* conamen eſt, partes *ſpaſmis* talibus *indolen-*

dolentibus affectas *violenta* ratione extendere velle, unde aut *paralytici*, aut *œdematosi* consequuntur affectus; quam ob rem membrorum extensio in ejusmodi subjectis locum *nullum* invenit: ast quæstio *mitior* occurrit, an non *talibus* subjectis *extra* paroxysmos suos spasmodicos tortura concedi & adhiberi queat? pro hac quæstione decidenda iterum *prudentia* opus est: enimvero quando jam tales affectus in aliquo subjecto *habituales* existunt, tunc *leviori animi* commotione revocari solent, id quod tanto facilius contingit, si *tales partes* doloribus maximis afficiuntur, quæ *alias ejusmodi* spasmis cruciantur; quoniam itaque tortura *animi* & *corporis* afflictiones affert, ita facile *impetuosas* affectuum horum *recidivas* causatur, id quod tanto *certius*, *citius* & *gravius* contingit, in subjectis *animo* & *corpore* distincte *sensibilibus*, temperamenti *calidi*, *plethoricis*, *ex hæreditaria* dispositione ejusmodi morbo obnoxiis, de reliquo *immorigeris*, aliisque *pravis* moribus præditis: interim *lenius* alias talibus morbis afflicti, congruo tempore *leniorem* torturæ gradum perferre possunt; & licet inde *novus* spasmorum recursus incitetur, tamen hic *adeo* perniciosus *haud* est, insuperque *medica* auxilia in hisce affectibus, paulo *meliorem* & *certiorem* opem promittunt: ast quando quædam subjecta cum talibus spasticis insultibus *periculosiora* pathemata experiuntur, velut motus *febriles*, *vomitus*, *colicam*, salutarium & necessariarum *excretionum* momentaneas *retentiones*, *vertigines* &c. vel quando jam *initia contracturæ* præsto sunt, tunc in iisdem *non facile*, vel *ullus* torturæ gradus admitti debet, quare omnium circumstantiarum quoad *subjectum* & *tempus* &c. circumspecta dijudicatio observanda est: neque etiam *illi* audiendi

ſunt, qui ex *Hildani* obſervatione exiſtimant, quod tortura talium affectuum *medicina* exiſtat: & licet *Hildanus*, nobis etiam vir *fide ſit dignus*, tamen in ea ſententia ejusdem obſervationi haud ſubſcribimus; etenim quando ipſe ad *plurimos* per torturam ab *arthritide* & *podagra* ſanatos provocat, tunc juſto fundamento judicamus, quod hic caſus valde *rarus* ſit, ut *ejusmodi* patientes *torturæ* ſubjecta evadant: hinc *plurimos* illos, ad quos Hildanus provocat, omnino *rariſſimos* eſſe exiſtimamus, qua obſervatione itaque niti, ne illis quidem ſuaſores ſumus, qui *tali medio*, ſi *honeſto* etiam modo inſtrui & applicari poſſet, uti mallent; quoniam tale experimentum *fallax* & *craſſe* empiricum eſſet; *Veritati* quidem conſonum & attentis *obſervatoribus* cognitum eſt, quod in talibus affectibus *lenior* commotio corporis *utilis* exiſtat, modo *juſto tempore* inſtituatur; aſt tortura quæ *animum* & *corpus* vehementer afficit, in *talem* cenſum *haud* venit: ex *ambiguo* & *fallaci effectu* non valet conſequentia ad *certum* quoddam *remedium* commendandum: hinc ipſe *Hildanus* ſua obſervatione non obtinuit adplauſum: & miramur cur *Zacchias l. c. n. 10.* velut *occæcatus*, judicet, *quod ſi ita eſt, jam non eſſet timendum, quia ſuo potius commodo, quam incommodo arthritici torturæ eſſent exponendi:* qui ſi etiam adæquata & *mitiori* interpretatione ſalvandus eſſet, ut *reus arthriticus* ob hanc rationem torturam in *ſui commodum*, quo *mali levamen* obtineret & in *juſtitiæ* emolumentum, quo *veritatem* confiteatur, ſuſtinere debeat, tamen hoc experimentum neque *conſtans*, neque *imitationi* commendandum eſſet: de reliquo velut per *jocum* inſerimus; quod, dum Hildanus commemorat, torturam in *Helvetia* & quidem *Bernæ* unum & alterum

ſub-

ſubjectum ab arthritide liberaſſe *(vid. Hildanus Cent. 1. obſ. 79. & ex eodem Camerarius in Syllog. Memor. Cent. 5. partic. 25.)* hoc remedium *non niſi Bernæ* valeat: quamvis hæc obſervatio non pro *imitatione*, ſed pro conciliatione dolorum *torturæ*, cum doloribus *arthriticis*, & quomodo interdum *unus dolor alterum* excutiat & profliget, teſtimonio *rubefacientium* & *Moxæ*, quæ perinde a quibusdam in talibus affectibus commendari ſolent, enarrata proſtet: de reliquo cum *Ammanno caſ. 19. diſcurſ. 19. n. V. pag. 159. Medic. Critic.* judicamus, quod *Torturam pro remedio Medico non liceat ſubſtituere: de arthritico ad Torturam inhabili vid. Valentini Pandect. Med. legal. caſ. 7.*

§. XVIII.

Quando etiam quædam ſubjecta, *Venerea Lue* infecta ſunt, tunc iterum illius *gradus* examinandus eſt: quare recte *Zacchias l. c. n. 11.* ſentit, (quando antea ex *Charrario*, *Deciano*, *Farinacio* & *Petr. Guazzino* profert, quod hi Doctores, homines *hoc morbo* affectos, a tortura *liberos* judicaverint) *hoc ad nos pertinet determinare*, enim vero in tali caſu quoad *principalem* quæſtionem, *judicis* arbitrium *imperfectum* eſt, qui neque *majorem*, neque *minorem* hujus affectus, *qua judex*, gradum cognoſcit: quare ſciendum eſt, quod *minori* gradu affectus Venerei detenti homines *territionem verbalem* & *realem* ſuſtinere queant, imo etiam *chordas* ſive *fidiculas*: quando vero Malum hoc *majora* accrementa nactum & variis *ulceribus*, *tumoribus*, *carie oſſium*, *nodis*, *tabe*, multis *doloribus*, *virium* gravi proſtratione &c. qualificatum eſt, tunc *nulla* perfert tormenta, excepta *territione verbali* & ut ita extra conſuetum & receptum terminum loqui licet, *repræſentativa*, qua videlicet

licet *instrumenta* torquentia, suspectis personis cum nuda *comminatione* sub oculos ponuntur: quoniam vero in *graviori* hujus mali gradu subjecta majores *dolores*, patiuntur insuper etiam in *universo* corporis complexu ægrotant, ita haud *promiscue* illa ad tormenta ducenda sunt, tanto minus, si *aliæ* circumstantiæ, ratione *individui* & *complicatorum* morborum concurrant: *non rarus* sane in foro hic est casus, ubi ob crimina furti, robbariæ, homicidii, stupri violenti, &c. subjecta suspecta hoc malo infecta sunt, in quibus casibus secundum *artis medicæ judicia* integrum est, illa subjecta, ut ut jam *aliquatenus* valetudinaria sunt, *primis* tormentorum gradibus afficere & exquirere: Et quoniam in talibus ægris *totum corpus* infectum & *morbosum* est, ita tanto magis *Medici* cognitio necessaria existit, si in iisdem tortura admitti debet: *minima* enim circumstantia, *totam* variat quæstionem: quando etiam in *majori* gradu hujus Luis Febris *lenta* aut *hectica* concurrit, tunc eo minus in *acerbiores* torturæ gradus judicandum est, quoniam tantopere *complicatus* morbus tantas *animi*, *motus humorum* & *affectarum* partium alterationes *haud* tolerat, quales sub *tortura* constanter & *inseparabiliter* concurrere solent: Quando porro quædam subjecta *Ulcera* diuturna aut in pedibus, aut in *brachiis* habent, tunc iterum *Medici* judicium necessarium est, qui videlicet in *causam* illorum inquirere debet, an ob *Hæmorrhagias* suppressas, ob *cacochymiam* &c. orta fuerint, in quali casu omnes *morbi*, *subjecti*, *partis affectæ* &c. qualitates & *circumstantias* inquirere, harumque *statum* cum *tortura* ejusque diversis *gradibus* conciliare debet: *Ulcera* enim in *brachiis* non tolerant *forcipes* neque *funiculos*, tanto minus *majorem* torturæ gradum; ni

pedi-

pedibus ocreas s. *compedes* applicare liceat: *Ulcera pedum* vicissim & *compedes* & *extensionem* corporis super scalam *non* admittunt, ni territionem *verbalem* & *realem*, nec non *fidiculas* adhibere circumstantiæ concedant: *conf. Zittmannus l. c. p. 354.* cujus allegatum est: Wann Inquisite die berührten Löcher am Schenckel hätte, könnten durch Anlegung der Beinschrauben solche zu langwierigen Schäden gedeihen. *Omnia* Ulcera *fortiora* tormenta non tolerant, *vid. Fidelis l. c. cap. 9.* eximit itaque *Guazzinus defens. 30. c. 16.* & ex eodem *Frölich l. c. n. 6.* illos, die an den Armen lahm und tadelhafftig sind, welche die Frantzosen, oder ein apostem haben, etc. *conf. Kressius in art. 59.* qui etiam *apostematum* mentionem facit. Si itaque in subjectis quibusdam, *ulcere externo* afflictis, *vires mediocres* adsunt, si ulcera non *magna* & *cacoethea* sunt, si non *intricatus* alius *morbosus* affectus conjunctus est, si *dolores* nimii *non* urgent, si *prava symptomata*, velut *inflammationes*, *spasmi*, pertinaces *congestiones*, *tumores*, *febriles* commotiones &c. desunt, tunc *leniorem* torturæ gradum in *congruo* tamen loco suscipere licet: quo valet, quod *artic. 59. C. C. C.* **von andern Schäden des Leibes**, dictitat: Seorsim quæstio movetur, an illis qui *Fonticulos* gestant, *tortura* adplicari queat, *vid. Zacchias l. c. n. 13. Fidelis l. c. cap. 8. p. 242.* pro hac quæstione decidenda, iterum *Medici* de *subjectorum* conditione cognoscere debent, an videlicet sint valde *valetudinarii*, quoniam Fonticuli ad *arduos* & *pertinaces* morbos *mitigandos* & *curandos* utplurimum adhiberi solent: quam ob rem homines *fonticulo* instructi, utpote *valetudinarii* agnoscendi sunt; in hoc statu qualitas *adversæ* valetudinis dijudicanda est: si itaque jam per *notabile* tempus *sub fon-*

ticuli geſtatione & operatione ſubjectum *mediocri* & tolerabili ſtatu, quoad *ſanitatem* fruitur, tunc *territio*, neç non *forcipum* & *chordarum* applicatio in latere *integro* & a fonticulo libero locum invenit: habenda itaque erit ratio *virium*, *ſubjecti* & ſtatus *valetudinarii*: quando vero fonticulus *recenter* excitatus, *affectus* vero, cujus gratia ille in auxilium tractus fuit, adhuc *arduus* & *ſonticus* eſt, tunç tortura *ceſſat*, quoniam præſentem ægrotationem *citius*, *certius* & *gravius* exacerbat: denique etiam *præcautio* eſt adhibenda, quoad fonticulos *fraudulenter* excitatos & *ſimulatos*, qualem caſum allegat *Wildvogel in diſp. de arbitr. judic. circa torturam c. 7. ſ. 6. p. 41. ſeq.* in quo caſu iterum *Medicorum* conſilia conferenda, fonticuli vero conſolidandi & tortura poſt *convenientem* temporis terminum adminiſtranda eſt: *conf. Zacchias lib. 3. tit. 3. qv. 3. n. 4--7.* ubi de *ſimulatis ulceribus externis* detegendis & dirigendis tractatur.

§. XIX.

Super ſunt adhuc plures reſpectus & caſus inquirendi, quare in ordine judicamus etiam quod homines *tenerioris* conſtitutionis corporis ad *torturam* ſubeundam *habiles haud* ſint: ſiquidem non modo illi quoad *animum* valde *ſenſibiles* & quoad *vires* valde *infirmi* & debiles, ſed & quoad corpus *laxius*, conſiſtentes haud ſunt, quorum juncturæ & *articulationes* admodum *laxæ* ſunt, ut facile lædi & cum gravi *damno* diſtorqueri & luxari poſſint, quorum partes cutaneæ, tunicaceæ & *carnoſæ* valde *molles* & *flaccidæ* exiſtunt, in quibus naturale *robur* ita deficit, ut *qualicunque* læſione facile *periculoſa* accidentia, præcipue *putridæ* corruptiones & affectarum partium *mortificationes* cum *præſen-*

taneo

taneo vitæ periculo ſupervenire ſoleant, imo talia ſubjecta facile in pernicioſas *convulſiones* & *lipothymias* ominoſas variaque alia *repentina* damna delabuntur, quibus propterea neque *territio*, neque *actualis* tortura cum deſiderato ſucceſſu adhiberi poteſt; quam ob rem *Brunnemann* in der Anleitung zum *Inquiſ. Proceß cap. X. ſ. 6. p. 36.* inquiſiten die ſchwach von Gliedern ſind allegat: quo etiam pertinent illi *infirmi*, ſive *naturaliter* tales ſint, quos commentatores in *C. C. C. art. 59.* & Doctores aliquo modo adhuc a *valetudinariis diſtinguunt*: ita *Mantzius* dicit: *ſi reus ſit infirmus, vel valetudinarius tunc enim vel omnino non torquendus, vel ita moderate, &c. Frölich* aſſerit: Die andere Urſach die Blödigkeit und Schwachheit des Leibes: *Carpzov. l. c. n. 46. virium defectum & corporis debilitatem allegat; Claſenius* aſſerit, *in exegeſi art. 59. & hoc extenditur ad alios valetudinarios & infirmos:* hanc *imbecillitatem corporis* profert etiam *Brunnemann Proceſſ. inquiſit. cap. 8. membr. 5. n. 27.* & *in muliere prægnante n. 29. in puerperis n. 30.* porro *n. 31.* judicat: *& hæc cauſa habet locum in omnibus qui debilitate, vel morbo chronico laborant, ubi tortura, vel territio ſaltem periculoſa eſſe poſſet, Farinac. qv. 41. n. 93. Ziegler. in not. in Zacchiam lib. 1. tit. 1. qv. 9. n. 25.* commentatur: *oppido placet ſententia Franc. Caſoni, qui in tr. de tort. & indic. cap. X. n. 12. generaliter in materia tormentorum ſtatuit, ſpectandam ſemper eſſe qualitatem perſonæ torquendæ, cum multi propter corporis imbecillitatem perire queant, in tormentis, etiamſi ad ſenectutem haud pervenerint*, in quibus *præmatura* talis tortura facile pernicioſam *Recidivam* provocat. *vid. Zacch. l. c. n. 15.* quo loco etiam *illam* imbecillitatem intelligimus & conciliamus, cujus reminiſcitur

Fidelis l.c. cap. 9. p. 245. quæ aliquamdiu *post* ſuperatos *arduos* morbos durat: *Matthæus de Crimin. l. c. n. 10.* ubi dicit: *virium vacivi facile tormentis ſuccumbunt:* & porro: *qua ratione illud quoque recte doctoribus placuit, infirmos & valetudinarios non temere torquendos eſſe.* Quibus infirmis *ſufficiens* mora *temporis* concedenda, donec *neceſſarias* ad ſuſtinendam torturam *vires* acquiſiverint: quoniam vero *a natura* debiles, *firmiores* vires *haud* recuperant, ob id *hujus* conditionis homines *torturæ* ſubmitti *haud* poſſunt, ni ob *aliqualem animi* præſentiam in quodam ſubjecto territio *verbalis* locum inveniat: Homines qui *Tumores* brachiorum & pedum chronicos geſtant, neque *forcipes*, neque *fidiculas*, neque *quaſſationes* tolerant, unde *certius* in gravia damna conjiciuntur, dum talibus tormentis *latitans* in hiſce tumoribus materia repente & præjudicioſe commovetur, ut periculoſa *corruptio* acceleret & *ſuperveniat*, *conf. Fidelis l. c. cap. 8. p. 243. Zacchias l. c. n. 13.* neque incongrue *Kreſſius in art. 59. contuſionum* & læſionum *non* ſatis *bene curatarum* mentionem injicit, verwahrloßte oder verderbte Schäden: illæ nunc *ſuſpectam* complectuntur partium *debilitatem* & *laxitatem*, humorum vero ſtagnationem & ſtaſin, unde facile *periculoſa* corruptio oriri ſolet, tanto magis ſi ulla *realis* tortura in ejusmodi ſubjectis exercetur, ſub qua ordinarie humores *confuſe* commoventur & ad *graviores* & periculoſiores *ſtagnationes* diſponuntur: id quod *Fidelis* teſtatur *p. 243. cap. 8.* ubi *ecchymoſeos* mentionem facit: *altera* ſpecies læſionum, videl. *male curatarum*, *corruptis* morbis adſcribenda eſt, quæ *peſſimis* conſecutionibus obnoxia exiſtit; quare nec illa *realem* torturam concedit; quamvis in *contuſionibus* (modo non ſint

capi-

capitis, quæ *plane* reſpuunt torturam, niſi læſus *exacte* ſanatus a *pravis conſecutionibus* liberatus & *integræ* mentis ſit) & læſionibus *hisce*, quarum modo mentionem occaſione commentationis *Kreſſii* fecimus, *verbalis* territio concedi queat. Præterea *Gibboſis*, præter *verbalem* territionem & *forcipum* applicationes nullus *gravior* tormenti gradus admittendus, quoniam ob *angorem* animi, ob *acerbitatem dolorum*, ob impetuoſam *ſanguinis* commotionem, ob copioſam hujus *affluxionem* intra *caput* & *pectus*, ipſis *repentina ſuffocatio* aliudve periculum imminet: idem ſentiendum eſt, de illis, quibus antehac *coſta diffracta*, nec regulariter *conſolidata* eſt, quibus *ſternum intra pectus* vel ex *vitio conformationis*, vel ex perpeſſa *violentia* depreſſum eſt: neque illi homines, qui periculoſa *procidentia ani*, aut *uteri prolapſione* laborant, facile torturæ ſubmitti poſſunt, quorum ſubjectorum *morboſam* conſtitutionem *Medici circumſpecte* dijudicare debent: ſi itaque talia ſubjecta ſimul fuerint *plethorica*, *Hæmorrhoidum* & *Menſium* vitiis obnoxia, variis & ſuſpectis *congeſtionibus* in *hæc* loca ſubmiſſa, tunc magnus *angor animi*, gravisque *dolor* facile *periculoſas* tales commotiones & impulſus ſanguinis excitare poteſt, id quod ſub *graviori* tortura *facile* etiam accidere poteſt: unde in *genere* in *talibus* perſonis *mitior* gradus adhiberi poteſt, ne in locis *uterinis* & *hæmorrhoidalibus* repentina *inflammatio*, *gangræna* & ſphacelus provocetur, quibuscum alii periculoſi & vitæ *extreme* præjudicioſi affectus concurrere ſolent.

§. XX.

Quando porro in aliquo ſubjecto *nullæ* prægnantes cauſæ adſunt, quæ torturam ullo modo declinare poſſent,

interim in quodam individuo *aliqualis* imbecillitas *ventriculi* & ob hanc *concoctionis difficultas* & tarditas adeſt, tunc *communis* illa cautela obſervanda eſt, quam *Criminaliſtæ* proferunt, ne *mox poſt paſtum* ejusmodi homines torqueantur, quam ob rem *ſex* aut *octo* horis (in qua tamen circumſtantia iterum *medicorum* conſilia colligi debent *vid. Zacch. l.c. n. 16--18.) poſt* cibi aſſumptionem tortura admitti debet, ne *ſub* tortura oriantur graves *capitis dolores, cardialgicæ - lipothymiæ, vomitus,* aut *anxii conatus vomibundi, inflatio ventriculi, colica tormina, flatulentiæ* ſuſpectæ, *oppreſſiones pectoris, palpitationes cordis, vertiginoſæ perturbationes* &c. qualia pathemata cum *ventriculi debilitate* frequentius conjuncta ſunt, & præcipue per eximias *afflictiones animi* & graves *dolores corporis* incitari & *exacerbari* ſolent; id quod tanto *citius, certius* & *gravius* a *tortura* expectari poteſt, unde *ſcopus* hujus quæſtionis *expirat,* & prædicti ſubjecti *malum* corporis *exaſperatur:* quo loco & in quo caſu vero *Medicus* congruo *remedio, ventriculum roborante,* ſuccurrere poteſt, ne prædictis horis ſuſcepta tortura talia *morboſa* pathemata & *graviora* ſanitatis *offendicula* provocet: id quod tanto magis obſervandum eſt in hominibus, qui non modo ad *vomendum faciles* ſunt, ſed & in *vomitu* facile *excedunt;* quibus tali neglectu anſa haud præbenda, ut prava talia conſectaria oriantur. *conf.* de hac circumſtantia, *quibus* videl. *horis* tortura ſuſcipienda *Carpzov. qv. 124. n. 5. ſeqv. Wildvogel de arbitr. jud. quæſt. cap. 4. ſ. 2. p. 32. 33. Beyeri delin. jur Crimin. in art. 59. n. V. p. 113.* qui a *medicis* bene edoctus hæc verba profert: *quod ſi corpus, cibis repletum, tam variis modis expandatur atque agitetur, ſymptomata graviſſima ſequun-*

quuntur & mortis periculum sæpissime imminet. Löwius in theatr. med. jurid. cap. 17. n. 11. p. 789. Dantur interim etiam homines, qui haud diu *jejunum* ventriculum perferre possunt. *vid. Zacch. l. 6. tit. 2. qv. 4. n. 18.* & *qv. 6. n. 5.* ni facile similes ferme *morbosas* afflictiones experiantur; quos *ante* torturam non *nimio* cibo onerare expedit: sufficit iisdem *jusculum* modica quantitate concedere, leviter aromatisatum, haud tamen multum vinosum, ne *caput* turbet, neve *sanguinem* valde commoveat, neve sub tali animi & corporis afflictione *temulentum*, *ebrium* rationis statum causetur: quoniam vinum in casibus, ubi aliæ causæ *valde commoventes* & *sanguinem exagitantes* concurrunt, in *minori* quantitate *citius inebriantem*, imo *contrariam* virtutem exserit: *bucellam tamen panis in vinum intincti* concedit *Zacchias l. c. qv. 6. n. 5.* nunquam tamen præstat *pleno* & *oppleto* ventre torturam subire: quoniam gravissimæ *animi* & *corporis* commotiones, eximii *angores*, *clamores*, *suspiria*, *pectoris* præcipue & *hypochondriorum* commotiones periculosas harum regionum *oppressiones*, *angustationes*, *diaphragmatis* ominosas compressiones, *suffocativas* comminationes &c. causantur, *conf. Fort. Fdelis Lib. 2. Sect. 3. c. 3. p. 232. Zacchias l. c. n. 16. seq.* Quicunque rei multas *Vigilias* egerunt, sive ob *metum* sive *angorem*, sive *aliam* quamlibet causam, illi *reali* torturæ submitti haud debent, quoniam vigiliæ valde *enervant*; hinc teste *Farinacio lib. 1. tit. 5. qv. 38. n. 79. seq.* in Italia *Vigiliæ tormenti* instar adhibentur. *conf. Zacchias lib. 6. tit. 2. qv. 5.* ubi *de tormento Vigiliæ* agitur, *Franckenau Satyra Medic. XVIII. §. 29. Camerar. Syllog. memorab. Cent. 2. part. 79. 80. Rolfinck. Med. Consf. Lib. 8. consf. 3. p. 68. A. E. L. An. 1714. M.*

No.

Novembr.p.424. ob id a *vigiliis enervati* homines *tam diu* torqueri non possunt, donec necessario *somno*, aliisque *congruis* adminiculis *vires sufficientes* nacti sunt. *Loci* etiam habenda est ratio, nam quando reus in carceribus valde *frigidis* aliquandiu detentus, insuperque *multum frigus* passus fuit, tunc juxta *Damhouderum Prax.Crim. cap. 37. n. 18. frigus tormentorum generibus adscribitur*, siquidem per rationes *physico-medicas* frigus *comparate* magnum & *sensibile*, sanitati multis modis *infensum* est, quam ob rem multo frigore *alteratus* homo *reale* tormentum sustinere non potest, nisi antea subjectum necessario & sufficienti *calore* alioque convenienti adminiculo *roboratum* fuerit: neque pariter homines, quibus humores *spissi* & in *obstructiones* valde proni sunt, qui *multum* de *melancholico* temperamento participant, *spissa*, *crassa* & cruda Diæta, *pauco* vero potu utuntur, in *loco* valde frigido & sub *intensiori* gelido *frigore* torquendi sunt, aliàs præsentibus *spissis* talibus humoribus, quando ob *denudatum* corpus *superficies arctius* constringitur, ob *torturæ* cruciatus & dolores magnæ proinde *angustiæ*, multa *suspiria*, operosior *respiratio* & fortior *sanguinis* impulsio occurrunt, facile tunc in *capite*, *pectore* & *abdomine* repentinæ *periculosæ*, imo *lethales* sanguinis *stases* & *extravasationes* contingere possunt; quas sicut providus *Medicus* sub *prædictis* circumstantiis *certius* metuere debet, ita *ratio* etiam habenda est *Loci* & conjuncti *frigoris*; id quod *tanto magis* observandum est, in personis, quæ brevi *ante* ex *arduo* quodam convaluere morbo, ubi tam *qualificata refrigeratio* facile periculosam *morbosam* palindromen & *Recidivam* causari potest, quam itaque *æqvus* judex suo arbitrio vitare debet: *vid.*

vid. Wildvogel l. c. cap. 4. §. 5. n. 31. Et quæ cautela quoad magnum *frigus* obſervandum eſt, illa etiam quoad intenſiorem *æſtum*, undecunque acceſſerit, obſervari debet, ne, quia ipſa tortura *vehementes* ſanguinis motus cauſatur, inde pro *diverſitate ſubjectorum*, quam *Medici* indagare & dijudicare debent, *graviſſima* interdum & repentina *vitæ damna* provocentur.

§. XXI.

Seorſim vero adhuc *Mulierum* reminiſcimur, quæ in ſtatu *veræ Graviditatis*, *Puerperii* & *Lactationis* aliquam *immunitatem* etiam a *tortura* juxta *communem* Criminaliſtarum ſententiam poſſident: quod *Prægnantes* attinet, tunc illæ ob *territionem* & *actualem* torturam facile *abortum* patiuntur, indeque *propriæ* ſanitatis periculum patiuntur: neque in hoc paſſu quasdam fæminas aut *animi* aut *corporis firmitas* præſervat, quia offenſio *tormenti* illam ſuperat: ſiquidem recte *Farinac. qv. 41. n. 84. Carpzov. qv. 118. n. 62. Zanger l. c. n. 41. Frölich. l. c. n. 7. p. 202. Brunnemann.* Anmerck. über die Anleit. zum *Inquiſitions-Proceß n. 11. p. 325. Mantzius in art. 59. Blumblacher l. c. n. 16. p. 131.* judicant, quod ne quidem *terreri* gravidæ queant: neque hic diſcretio attendenda eſt, an *gravida partui vicina*, an minus ſit. *conf. Carpzov. l. c. qv. 118. n. 51--56. Tabor l. c. §. 30. Brunnemann. Proceſſ. inquiſ. cap. 8. membr. 5. n. 29.* Anleitung zum *Inquiſ. Proceß cap. X. §. 6.* Anmerckung. hierüber *n. 2. p. 352. Ludovici* Peinl. *Proceß c. 9. §. 47. Blumblacher l. c. n. 15. p. 130.* & multi alii: diximus vero quod vera eſſe debeat Graviditas, de qua juxta *Farinacium Lib. I. tit. 5. qv. 41. n. 85. Carpzov. l. c. n. 63. Frölich. l. c. n. 7. p. 203. Brunnem. Proceſſ. Inquiſ. l. c. n.*

29. *Blumblacher l.c.n. 16.p. 131.* (cujus verba peculiarem annotationem merentur: In solchem Fall ist nicht gleich einer Weibs-Persohn, die sich für schwanger angiebt, zu glauben, sondern wann ein Richter zweiffelt, soll er Hebammen und geschwohrne Medicos zu rath ziehen, und nach deren Meinung verfahren. Wann nun die Hebammen oder Medici ein irriges judicium geben, und die Weibs-Persohn, welche schwanger, für nicht schwanger angeben, und erkennen thäten, und der Richter eine solche Weibs-Persohn darauf torquiren liesse, welche darüber eine Miß-Geburth brächte, quod etiam de abortu valet, so wäre der Richter dessentwegen nicht gehalten.) *Medici* & *obstetrices* cognoscere debent, ne *simulatio* & fraus committatur: etsi torturæ *annunciatio* aut *administratio* in gravida quadam *nullum* abortum provocaverit, tamen *totum* actum *generationis* graviter *turbat* & offendit, ipsam gravidam aut *acerbioribus*, aut novis *periculosis*, graviditatem comitantibus, symptomatibus subjicit, ad eximiam *sanitatis* destructionem, *fœtum mortuum*, *monstrosum* & *partum difficillimum* disponit, imo efficit, ut in futurum circa *partus* processum aut *matri* aut *fœtui* lethalia pathemata superveniant: e *Medicis conf. Zacchias l. c. n. 18. Fidelis cap. 4. Löw. n. 12. p. 790.* Si vero mulier quædam aut *mola*, aut *tympanitide*, aut *empnevmatosi* sive *uteri flatulentia*, aut *ascite* &c. laboraverint, qui affectus aliquando *Graviditatem mentionantur*, tunc iisdem, utpote *valetudinariis* & intricato *morboso* statu afflictis, tortura *haud facile* admitti debet, sed potius prædictæ cautelæ advertendæ & conciliandæ sunt. *Puerperæ* juxta *Hippocratem* utpote *graviter vulneratæ*, proinde valde *infirma* & in aliquali *vitæ periculo* constitutæ

mini-

minime *aptum* torturæ præbent ſubjectum: & quamvis iisdem *quadraginta* dies concedantur, quibus poſt partum torqueri haud debent, *ſecurum* tamen *haud* indiſcriminatim eſt circumacto hoc tempore confeſtim *graviora* tormenta admittere: quo tempore *haud ſufficienter* promiſcue uteri *conſolidatio* & obfirmatio peracta eſt, (præc. in fæminis, in quibus *arduæ*, *confuſæ* & *intricatæ* circumſtantiæ ſub *Graviditate*, ſub Partu & poſt hunc occurrerunt,) unde ob terrorem, metum, angoremque animi (ſiquidem alias *animi pathemata* puerperis, aut *recenter* talibus, aut jam aliquandiu *partu* liberatis infenſiſſima eſſe ſolent) nec non ob vehementes *corporis cruciatus* & concurrentem impetuoſam ac perturbatam *ſanguinis* commotionem, facile in *uterinis* locis periculoſæ *ſtagnationes*, *ſtaſes*, *inflammationes*, *ſpaſmi vaſorum ſanguiferorum* novæ *dilacerationes*, *hæmorrhagiæ* prodigæ aliaque *ominoſa* & interdum *lethalia* pathemata oriri poſſunt; & licet quoad *externum* conſpectum quædam mulieres ſatis *robuſtæ* videntur, tamen ne *Medicus* quidem ex *vero* & *certo* decernere poteſt, an intra prædictum terminum temporis *uterus ita reparatus* ſit, quo *realem* quandam, etiamſi *lenior* fuerit, torturam tolerare queat: hinc in re *dubia*, aut ubi *certius pejora* conſectaria metuenda ſunt, *mitior* probatur ſententia & terminus ille *ampliatur*; ſiquidem id ipſum eo magis *neceſſarium* erit, ſi forte puerperæ fuerint *primiparæ*, aut ſi valde *difficili* partu laboraverint, ſi *copioſi* aut plane *nulli* & *inſufficientes* lochiales fluxus contigerint, aut ſi *aliæ* intervenerint circumſtantiæ *morboſæ*, ob quam *non ita cito* fæminæ *vires* recuperare poſſunt: ſi etiam ratio habetur

L 2 *nati*

nati infantis, ne ob torturam matri adhibitam ejus necessarium *alimentum* aut *corrumpatur*, aut *minuatur*, tunc eo magis diuturnior mora concedenda est: ex singulis vero in *compendio* prolatis, circumstantiis inclarescit, quomodo in talibus casibus & causis *Medicorum* judicia conquirenda & observanda sint; siquidem in ejusmodi casibus judicis arbitrium *non* satisfacit, siquidem neque *Zangeri* concessio 40 dierum, neque *Lynckeri in annotat. ad Struv. tit. de quæst.* ampliatio *sex septimanarum singulis* casibus & circumstantiis respondent: unde neque *Galenus Comm. 6. aph. 36.* audiendus, qui adserit, quod *partus per 40 dies verissime terminari* queat: si enim *partus acerrimum tormentum* & *aliqua ratione morbosa affectio*, *imo diuturnis ægritudinibus quodammodo annumerandus* est, juxta *Fidelem c. 4. p. 234. 235.* ita illius circumstantias *Medicus* dijudicare debet, an *torturæ* sustinendæ puerperæ quadrent? *conf. Zacchias l. c. n. 20.* Quoad *Lactantes* fæminas facilius decernere licet, quæ, utpote *nude lactantes* consideratæ, *leniorem* & *paulo* graviorem torturæ gradum subire possint; nam si respectus *infantis* habetur, facile pro eodem *lactando* aut *alia nutrix*, aut *aliud nutrimentum* sine *damno* substitui potest, siquidem creberrimæ honestæ *substitutiones* tales occurrunt, quare recte *Blumblacher loc. cit. n. 17. p. 131.* judicat: Es ist auch eine Weibes-Persohn, die ein saugendes Kind an der Brust hat, nicht zu torquiren. NB. wann man anders für das Kind keine andere Säugamme haben kan: So aber eine andere Säugamme zu haben, und die Mutter schon ausser der Zeit oder Kindbetten, und schon die 40. Tage überschritten, alsdann mit der Tortur gegen ihr verfahren werden.

quod

quod *ipſas lactantes* attinet, tunc quidem affectus animi, dolores corporis, & motus ſanguinis, qui *ſub tortura* contingunt, lac in *craſi* alterare & *depravare*, ejusdem ulteriorem *ſeparationem* turbare, *minuere* & *ſufflaminare*, in mammis etiam *ſtagnationes* cauſari queunt, ſingulis tamen hiſce offenſionibus ita obviam ire licet, ut inde neque *infanti*, neque *lactanti certum* & *eximium ſanitatis* & *vitæ* damnum emergat: ſiquidem alteratum tale lac infanti haud præbere expedit: ſi itaque aliquo modo *lactantibus* Judices *indulgere* volunt, tunc *acerbiorem* torturæ gradum videlicet membrorum extenſionem non admittant, lenior vero ſententia magis in *favorem infantis* decernitur; quodſi vero *lactationem* in muliere comitentur *morboſa* pathemata, velut magna debilitas & *virium proſtratio*, ſuſpecta *contabeſcentia*, graves *congeſtiones* intra *caput* & *pectus*, tunc eadem, ut *valetudinaria* conſideranda & tractanda erit: quoad hanc quæſtionem: an Lactantes torqueri queant? *vid.* inter *JCtos Carpzov. qv. 118. n. 61. Tabor. l. c. ſ. 30. Wildvogel diſp. cit. cap. 7. ſ. 5. p. 40. 41. Brunnem. Proceſſ. inquiſ. l. c. n. 31.* e *Medicis conf. Zacchias l. c. n. 21. Fort. Fidelis l. c. cap. 5. p. 235.* & *Löwius l. c. n. 14.* qui ultimus, ut in *plurimis*, ita in *hac* circumſtantia *Zacchiæ* verba, non nominato authore, uſurpavit & tranſtulit: de reliquo ex obſervatione Medica ſignificandum eſt, quod ob graviores *dolores corporis* & *afflictiones mentis* in fæminis animo & corpore *ſenſibilioribus* & *tenerioribus* lactis ſecretio & proventus utique *intercipi* queat: an vero in *arduis* caſibus *propterea* prævaleat *favor* infantis, qui tamen ab *alia* fæmina, aut ut dictum fuit, alio *ſuppletorio* alimento enutriri & educari poteſt, JCtis decidendum relinquitur.

§. XXII.

Denique annotamus, quomodo aliquando *Medici* requirantur, quo *Torturæ præsentes* ſint, ut *conſilio* & *auxilio* ſuo, ſi quid *adverſi* reo *ſub tormentis* accidat, præſto eſſe queant: aſt merito in ejusmodi *dubio* caſu, ubi de ſubjecti *vita* ambigitur, an non *facile* eidem ex tortura *periculum* imminere queat, *ſecurior* modus ſeligitur & tortura *differtur*, ſiquidem alias *inutilis* illa declaratur, quando medicus *deficientem* reum iterum *reficere*, aut quaſi *reviviſcere* debet: & licet quædam ſubjecta *ſub tortura* ipſa non *eminenter* deficiant, tamen *poſt illam* periculoſiora pathemata ſupervenire & inſultare poſſunt: haud quidem *Medici* ſuis animadverſionibus & admonitionibus deſunt, quin *ſigna* præcipue *ſub tormentis deficientium* ſubjectorum indicent & deſcribant, *vid. Fort. Fidelis Lib. 2. Sect. 3. cap. 5. p. 236. Zacchias Lib. 6. tit. 2. qv. 6.* aſt quid juvat hæc noſſe, & *finem* torturæ non obtinere, quin potius reum in *gravius* vitæ & ſanitatis *damnum* præcipitare, quod tamen ſollicito ſtudio evitandum eſt, ne tortura *pœnæ* vim teneat: exceptio illa, quaſi reus ſine *pravo* ſucceſſu *forte* torturam perferre queat, quem antea *metus* affectu judex expectaverat, *nullius* ſingularis valoris eſt, quoniam hanc torturam *periculoſa* ſanitatis offendicula *conſequi* poſſunt, aut tortus facile confeſſionem ſuam *reclamare* & negare poteſt, quaſi ſub *anguſtia*, *mentis imbecillitate* & *corporis infirmitate* factæ confeſſionis conſcius *haud* ſit: ſub quo ſtatu iterum *eximia mutatio* proceſſum inquiſitionalem afficit: quid juvat ſi *Medicus* torturæ *præſens* eſt, quando *Epilepticus* torquetur? quando Medicus indicare poteſt, quod *ſub* tormentis motus *convulſivi ingruant!* quid juvat Medici præſen-

tia

tia si *vehementior* inde paroxysmus convulsivus excitatur? quid juvat si reo a *vinculis* & tormentis confestim liberato *medicamina* & auxilia offeruntur, quæ in tali affectu, per *torturam* provocato, *exiguam* habebunt virtutem: quid *judici* & *justitiæ* inde *emolumenti* accedit! unde quidem hæc consilia *pragmatica*, sed haud *practica* & *fructuosa* sunt: ob id *talia* rectius consilia subministranda veniunt, quæ in foro *civili* & *medico realia* & applicabilia existunt: idem certe sentiendum est, de plurimis illis *speculationibus* & inventis, quibus torturæ subjecta ita *præservari* debent, ne vel *sub tortura morbosos* suos insultus experiantur, neve *post illam*, periclitationem quoad sanitatem sentiant; quoad *utrumque* desiderium ars *medica* satisfacere *haud* potest; nam *effectum præservare* & tollere velle & debere, *causam* tamen ad *provocandum* illum effectum admodum *idoneam* non *intercipere*, sed *libere committere* & admittere velle & deinde sensibili tortura *offendere* & *exacerbare*, *incongruus* ausus est: quare in hoc etiam refugio judices nullam opem inveniunt; Neque porro mox *magicæ* arti tribuendum est, si *sub tormentis* subjecta quædam velut *obdormiscunt* & *post illa*, aut *relaxatis* illis iterum ad se revertuntur; Sane tormentorum *cruciatus* magnam vim habent, ad profunda & *eximia animi deliquia* excitanda, quæ *tunc* remittunt, quando tormenta *solvuntur*; quare ejusmodi *syncoptici* affectus, non cum *machinamento Satanico* promiscue confundi debent: quemadmodum alias *sensibiles* personæ ob *minorem*, tanto magis vero *majorem*, dolorem, in ejusmodi *impotentiam rationis* & *deliquium* incidunt: *fallax* itaque, si non plane *falsum* & hoc est indicium *indiscretim* accusandi & agno-

agnoſcendi pactum cum *Diabolo*, aut *magicum* artificium: An remedia *narcotica* præſervent, ne dolores tormentorum *nimium* afficiant, quæſtio *medica* inſtitui poteſt: nos *negativam* ſententiam tuemur, quia hæc remedia *obnubilant rationem* & *ſenſus*, & id quidem eo acerbius & *periculoſius*, quando jam ob aliam cauſam velut ob torturam animus valde *turbatus* & *afflictus* eſt; inde evenit, ut aut *deliria*, aut *ſopores* corripiant, unde rei plane inhabiles redduntur ad *quæſtiones* percipiendas & congrua *reſponſione* aut deſiderata *confeſſione* reſolvendas: quid quod ſub tali *turbulento* ſtatu *vitæ* & *ſanitati* facile præjudicioſæ *offenſiones* accidere poſſunt, ſiquidem ſub tortura contingentes offenſiones & *læſiones corporis*, *perturbationes* liberi & temperati motus humorum, *ſolidarum* partium vero multiplices alterationes, *narcoticorum* remediorum uſum haud perferunt, quoniam hæc ſingulas haſce alterationes *cauſari* & *aliunde* provocatas *exacerbare* poſſunt: neque porro illa commemoratio de *pulvere ad ſuſtinendos torturæ cruciatus & ſupprimendam confeſſionem dato*, quæ in *Act. Nat. Curioſ. dec. 2. an. 8. obſ. 88.* occurrit, præter nudam *ſcientiam* aut cognitionem facti, ullam, ad hoc thema quadrantem, utilitatem confert: annectimus aliam Hiſtoriam in *A. N. C. Dec. 3. an. 7. & 8. obſ. 23. de Pulvere dato ad extorquendam incendiarii confeſſionem*, de cujus veritate vero adhuc dubitamus: hiſtoria ſequens eſt: *Hæc apprime quadrabit ad Clariſſimi Domini Doctoris Samuelis Ledelii obſerv. 88. in Decad. 2. an. 8. ubi vero ille de contrario effectu agit: hanc b. defunctus Parens meus, quondam ex ore Pharmacopœiæ Studioſi* (NB. qui aliquando mirifice glo-

gloriantur & mentiuntur) *qui tum temporis Rendsburgi in Holſatia ſervierat & Pharmacum præparaverat, notavit, quæ ita ſe habet: An. MDCXII. mutilus quidam mendicus ſimul incendiarius & homicida, Sägebergæ torturæ ſubjiciebatur: Hic cum nullo modo ad confeſſionem cogi poſſet, adfuit Conſul Rendesbergenſis, nomine* von Arſſen, *juſſit, ut prius torquendo omnes capilli abraderentur, poſtmodum tergotenus, maleficum aggreſſus eſt, ne faciem Conſulis videre poſſet, juſſit ut in continenti ſequenti ſequentem potiunculam hauriret, quæ conſtabat ex Maſtiches, Myrrhæ, aloes hepaticæ & viridis æris anaticis partibus, cum aceto vini mixtis: Qua epota Carnifici mandabat, ut torturæ ſubderet hominem, quo facto incendiarius & homicida hic evomere omnia ſatagebat; ab ejecta autem materia exſurgebat Spiritus familiaris* (lepida narratio! forte hic incendiarius, de artocreate Fauſti, quod ſpiritu familiari expletum dicitur, quicquam comedit; unde ſeminium aut particulam illius devoravit, vel femur aut ſuram illius deglutivit, ut totus inde talis ſpiritus, fungi inſtar, regeneratus fuerit) *ſi non malignus, forma militis, caligis cæruleis indutus* (reliqua veſtimenta non nominantur, neque an pileatus, an galeatus, an ocreatus, an calceatus, an armatus, an inermis) *qui ſe Chriſtianum Fridericum (malo omine) appellabat, quem latro adhuc ſubjectus, ita alloquebatur: quo tendis Chriſtiane? itane mihi quondam promiſiſti; cui Chriſtianus hic, minime Chriſtianus: Cogor ut te derelinquam & diſcedam: hoc dicto diſparuit phantaſma.* Coronidis loco addimus, quod, ſicut Medicus rei, ſub tortura *deficientis,*

M

tis, curam habere debet, ſecundum ante notata, ita *Medicorum relationi etiam ſtatur an tortus obierit ob immoderatam torturam*, *nec ne: conf. Farinac. prax. crimin. qv. 37. n. 141. Löwe l. c. c. 17. n. 2.* quamvis vero tales caſus *rariſſime* occurrant, tamen ſi evenerint, inſtruunt, quid agere conveniat, inſuperque docent, quomodo in *Torturæ* Proceſſu in multis occaſionibus & caſibus *Medici* judicium & conſilium admodum neceſſarium ſit: Et hæc ſunt quæ præſenti diſſertatione de *Torturæ Subjectis* explicare voluimus. DEO benigniſſimo humillimas agimus gratias, quod huic labori perficiendo vires neceſſarias largiri voluerit, cui etiam reliquas noſtras actiones conſecramus, quo exoptatus ſemper cum iisdem impetretur.

FINIS.

